

2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14

418
1112

~~128.~~

~~est. h. ab. h. gemis e. edolis. h. h.~~

PET. IOHAN. ... B. d.

NUNNESII VA-

LENTINI INSTI-

TUTIONVM RHE-

TORICARVM LI-

bri quinque.

R. 122921

EDITIO TERTIA CETERIS


multo correctior, & locupletior exemplis, & in

dicib. & noua accessione artificij, quo pos-

sit ars copiosius, & utilius

exerceri.

*N.º del Colegio
de la Comp.ª de
S.º de Fran.º*



BARCINONE.

Cum licentia: Ex Typographia

Sebastiani à Cormellas.

An. 1593.

Ego Petrus Ægidius presbyter Societatis IESV, ex commissione admodum Illustris, & Reuerendissimi D. D. Iohannis Dymæ Loris Ep̄i Barcinonē. Regijq. cōsiliarij legiquinq. libros Institutionū Rhetoricarū elaboratos a Doctore Petro Ioan. Nunnesio Valentino. at quali viro? omni nempe scientiarum genere instructissimo Græcæ Latiq. linguę scientissimo, & apud Barcinonenses Oratoriae facultatis multis iam annis summa cum laude, nec minori bono professore sapientissimo: nihilq. in eis reperi, quod catholicæ Fidei, morumue integritati aduersaretur. Immo ea est in his quinq. libris rerū, sentētiarumq. grauitas, cum pari verborum elegantia, & venustate coniūcta, vt quamuis semel, atq. iterū sint excusi, cum tamē castigatiores modo, locupletioresq. prodeant, dignissimi iudicentur, vt tertio in iuuetutis vtilitatem imprimantur. Barcinone in Collegio nostræ Societatis. 6. Idus Februa. An. 1593.

*Petrus Ægidius e Societate
IESV.*

Nos Iohannes Dymas Loris Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Barcinonen. regiusq. consiliarius &c. visa approbatione prædicta horum quinq. librorum institutionum Rhetoricarum elaboratorum a Doctore Petro Ioanne Nunnesio Valentino, concedimus licentiã imprimendi, & diuulgandi eas in nostra diocesi. Dat. Barcinone in nostro Palatio Episcopali die. 22. Februarij. 1593.

I. Ep̄s. Bar.

*Pro comitibus de la Serna et
quidam comiti de la Serna et
Lion de S. Jago de la Serna
Diego de Ribera*

VALENTINAE ACADE-
MIAE CLARISSIMAE VI-
RIS ERVDITISSIMIS ET
ADOLESCENTIBVS ELO-
QVENTIAE STUDIO-
SIS AFFLVENTI PE-
TRVS IOHANNES NVN-
NESIVS VALENTINVS
EIVS ALVMNVSPAREN-
TI OPTIMAE HAS IN-
STITVTIONES RHETO-
RICAS TERTIVM EDI-
TAS ET AVCTAS LIB.

B. M. D. D.

AVCTORES, QUI IN
hoc opere citantur.

A Eschines.	Caesar.
Aesopus.	Callistratus.
A. Gellius.	Callisthenes.
Alexander Aphrodi- siensis.	Curius Fortunatianus
Ammonius.	Corinna.
Anonymus.	Cornificius.
Antipater.	Cornutus.
Aphthonius.	Demetrius.
Apollodorus Pergame- nus.	Demosthenes.
Apollonius Molo.	Diogenes Cynicus.
Asines uterq.	Dionysius Halicarnas- seus.
Aquila.	Dionysius Longinus.
Aristides declamator.	Io. Doxapatri.
Aristides technicus.	Emporius.
Aristophanes.	Emmius.
Aristoteles.	Erasistratus.
Aristoxenus.	Esripides.
Arnobius.	Eustathius.
Asconius.	Fulgentius.
D. Augustinus.	Galenus.
Auicenus.	Gemistus.
Babrius.	Gorgias Leontinus.
D. Basilus.	D. Gregorius Nazianz.
Bio.	Hermagoras.
	Hermogenes.

<i>Herodotus.</i>	<i>Paterculus.</i>
<i>Higinus.</i>	<i>Philochorus.</i>
<i>Himerius.</i>	<i>Philostratus.</i>
<i>Homerus.</i>	<i>Phocio.</i>
<i>Interpretes Graeci</i>	<i>Phurnutus.</i>
<i>Hermogenis.</i>	<i>Pindarus.</i>
<i>Interpretes Graeci De</i>	<i>Plato.</i>
<i>mosthenis.</i>	<i>Plautus.</i>
<i>Iohan. Tzetzes.</i>	<i>Plutarchus.</i>
<i>Isaeus.</i>	<i>Polemo.</i>
<i>Isocrates.</i>	<i>Porcius latro.</i>
<i>Isocratici.</i>	<i>Porphyrius.</i>
<i>Iuris consulti.</i>	<i>Pythagoras.</i>
<i>Iustinus Historicus.</i>	<i>Quinctilianus decla-</i>
<i>D. Iustinus.</i>	<i>mator.</i>
<i>Iuuenalis.</i>	<i>Quinctilianus techni-</i>
<i>Laetantius Firmianus.</i>	<i>cus.</i>
<i>Libanius.</i>	<i>Rhythmici.</i>
<i>T. Linius</i>	<i>Rusinius.</i>
<i>Lysias.</i>	<i>Rutilius.</i>
<i>Macrobius</i>	<i>Sallustius.</i>
<i>Marcellinus.</i>	<i>Scriptor Rhetoricorū.</i>
<i>Marcianus Capella.</i>	<i>ad Hieronymum.</i>
<i>Marcomanus.</i>	<i>Seneca pater.</i>
<i>Maximus.</i>	<i>Seneca philosophus.</i>
<i>Alexander Laodicēsis.</i>	<i>Serius.</i>
<i>Metrophanes.</i>	<i>Sopater interpres Her-</i>
<i>Mitriacianus.</i>	<i>mogenis.</i>
<i>Moschopolus</i>	<i>Sopater auctor decla-</i>
<i>Palaephantus.</i>	<i>mationum.</i>

Ste-

<i>Stesichorus.</i>	<i>Thucydides.</i>
<i>Stobaeus.</i>	<i>Trapezantius.</i>
<i>Suetonius.</i>	<i>Trogus Pompeius.</i>
<i>Sulpicius Victor.</i>	<i>M. Tullius Cicero.</i>
<i>Syrianus.</i>	<i>Valerius Maximus.</i>
<i>Theo.</i>	<i>Varro.</i>
<i>Theodectes.</i>	<i>Victorinus.</i>
<i>Theodoritus.</i>	<i>Virgilius.</i>
<i>Theodorus Gadareus.</i>	<i>Xenophon.</i>
<i>Theodorus Logotheta.</i>	<i>Zeno.</i>
<i>Theophrastus.</i>	

INSTITVTIO NV M R H E T O R I C A

R V M P E T. I O H A N. N V N-
nesij Valentini Pro-
oemium.



V E M A D M O D V M
in Musicis, & in Medico-
rū studio, sic & apud Rhe-
tores tresolim quasi fami-
lias fuisse, quae in honore

maximo, & precio haberentur, acce-
pimus. Quarum vna, eaq. antiquissima
ab Isocrate profecta, & ex discipulorū
potius, quā magistri scriptis cognita,
quia experientia magis, & obseruatione,
quam arte, & ratione rota fere con-
stabat, vt refert Plutarchus, multis ab
hinc saeculis deserta obsoleuit: altera
Aristotelica, quam & doctor, atq. eius
sectatores suis artibus multum illustra-
runt, quia in Philosophia studij pluri-
mū, in Eloquentia parum posuerat, e-
xilem q. dicendi vsum, & vix forensem
adhibuerat, quamuis inrimas dicendi
rationes, & causas probe perspexerat,
minus

*M. Tullius. r. de
muen.*

PROOEMIUM.

minus tamen posteris ad dicendū pro-
babatur. Tertium disciplinae genus ex
vtraque familia conflātū, in quo mul-
ti, atq. ij germanissimi Eloquentiae do-
ctores floruerunt: qui cū ad artis prae-
cepta vsum assiduū, atq. dicēdi exer-
citationem adiunxissent, habiti sunt in
hoc dicendi genere ceteris lōge prae-
stantiores. Itaq. haec in ludo, & scholis
Rhetorū sola iā pridē doceri coepit,
eaq. cōsuetudo apud Graecos, & apud
Romanos vsq. ad extremam litterarū,
& eloquentiae inclinationē permāsit.
hanc rationem vocat M. Tullius prae-
cepta cōmunia: quam monet idē mul-
tis in locis, vt discamus, & restatur ad in-
stituendos adolefcentes maxime esse
accommodatā. Huius disciplinae prin-
ceps extitit Hermagoras, quē multi no-
biles in primis Rhetores secuti, licet
in varias sectas discesserint, hoc vnū ta-
men videntur omnes spectasse, vt cū
doctrina vsum, atq. dicendi exercitatio-
nē coniungerent. Quo in studio mul-
ti quidē illustres, omnū tamen clarif-
simi inter Graecos praesertim scripto-
res

PROOEMIUM.

res fuerunt, Dionysius Halicarnassensis, Apfines senior, Phoebamo, Aristides Quintilianus, & Minucianus. Hos secutus Hermogenes magni iudicij Rhetor cum multa ab illis accepta meliora fecisset, d̄ suoq. plurima huic arti ex ēplo Demosthenis expressa summinūstrasset, effectum est, vt eruditorum cōfēsu lōge omnib. anteponeretur. Qua propter doctissimi quiq. viri huiusartē commentarijs sibi illustrādam proposuerunt: alij, vt facilius memoriae infixata haereret, in epitomam illam cōtraxerūt. Nec habitus est in posterū vllus idoneus, aut Historici, aut quod maxime proprium est huius artis, Oratoris interpret, nisi qui ad sensus scriptoris explanandos technologiam ex huius disciplinae artibus petitam accommodaret. In Criticorum autem numero quantum fuerit huius familiae nomen Halicarnassensis libris de characteribus, & Longinus in libello de sublimi oratione, & Hermogenes in ideis satis cumulate docuerūt: vt ex his perspicuum fiat, eum, qui huiusmodi ra-

tionem

PROOEMIUM.

tionē eloquētiaē optime calluerit, ad omne genus scriptorū interpretādū, & ad iudiciū de illis faciēdū ab arte quidē dicēdi instructissimū futurū. Haec vna ratio impetrare a posteris potuit, ac debuit, vt, aliorū artibus relictis, in hāc vnā toto pectore incūberēt, reliquas in consiliū tantum, cū opus esset, adhiberent. Neq. vero minor ille fructus existimari debet, quem nonnulli praedicant se ex hac arte percepisse, vt sententiā plerunq. Demosthenis omnīū Oratorum Graecorū perfectissimi quasi praesensione quadam diuinent. Haec omnia mecū ipse reputans diu, multū que quaesui, qua ratione Rhetorica Hermogenis Latina oratione reddi cōmode possēt, nō vt ab interprete adverbū, quod alios antea praestitisse vi debā sed vt M. Tullius Panactij libros de Officijs Latine expresserat, ita vt pro Graecis exēplis Latina ex optimis quibusq. scriptorib. deprompta reponerētur, & multamutare, addere, de illis etiā detrahere liceret, dū series artis ab Hermogene tradita, quae facillima, & expediti li-

ma

PROOEMIUM.

ma ad discendum, atq. scribendum semper visa est, non conturbaretur. Georgius quidem Trapezuntius homo eruditus, & Hermogenis studiosissimus suis Rhetoricis libris in ea re satis visus fuisset posteris fecisse, si omnia, quae poterat, in transferenda ad nos Hermogenis arte cumulate praestitisset. Sed quia totam illam partem, in qua de incunabulis eloquentiae agitur, quam Graeci fere omnes magni semper fecerunt, quod sine eius praesidio reliqua constare non posse arbitrarentur, praeterijt, locumq. illum de methodo prudentiae, in quo omnia huius artis sibi posita esse voluit Hermogenes, leuiter attigit, faciendum mihi esse existimaui, quia cernebam totum hoc genus studij ab ijs, qui plura, & meliora praestare poterant, vulgo negligi, ut si qua ratione possem, quamvis a multis subsidijs imparatus, huic incommodo operam aliquam ferre. Atq. ad hanc quidem rem collegimus omnia, quae potuimus Hermagoreorum praecepta. Qua in re magno adiumento fuerunt tres illi

libri

PROOEMIUM.

libri Rhetoricae scholasticae Fortunatiani: qui & satis Latine loquuntur, & artem Hermagorae magna ex parte videntur expressisse, & fragmentum illud Rhetoricorum. D. Augustini, atq. alterum Sulpicij Victoris, in quib. eadem paene vestigia ^{relicta} impressa cernuntur. Mitto multa Ciceronis, & Quintilianii, quae magno nobis fuerunt praesidio, & ornamento, & praesertim libri illi Rhetoricorum de inuentione M. Tullij, atq. commentarij in illos Victorini, atq. libri ad Herennium. Euoluimus praeterea omnia, quae potuimus Dionysij Halicarnassei, & Aristidis Quintilianii, quaedam etiam Minuciani. Nam de Phoebammone, & Apollonio seniore vix praeter nomina illorum, quicquam potuimus inuenire. Ab his autem scriptoribus magnam partem mutuatus dicitur Hermogenes. Neque vero praetermisimus veteres illos interpretes Graecos Hermogenis Sopatrum, Syrianum, & Marcellinum, atque eos, quorum fragmenta cum illis circumferuntur, eos item, qui nondum

dum

PROOEMIUM

dum (quod sciam) in lucem prodierunt
 ut Doxapatri commentarios, & Gemini
 sti ^{confecta} epitomam, & alterius anonymi: cō-
 suluimus etiam Apfinem iuniorem,
 qui videtur aliqua huic arti addere vo-
 luisse. Nā in progymnasmatibus Aphtho-
 nium magis secuti sumus exemplo ve-
 terum, qui, ut refert antiquus eiusdem
 interpretis Graecus, eum, & Hermoge-
 ni, & reliquis, qui ante illum progym-
 nasmata scripserant, antepōndum
 censuerunt: quod ijs, qui hanc artem in-
 grediuntur, congruentior videretur, cū
 & dilucide, & distincte singula doce-
 ret, atque exemplis ad erudiendos tyro-
 nes quam aptissimis ea illustraret.

PETRI SA-
 gelij epigramma.

E Loquij si dulcis facundia cordi,
 Seu tibi Graiorum, Romulidumne sedet,
 Eruit illorum thesauros ante latentes,
 Haec tibi Nunnesij charta polita, brevis:
 Hāc tu cōde sinu, & doctā amplexare magistrā,
 Regnet & in ludis omnibus, inq. foro.
 Quod melius fieri ut possit, signata tabellis
 Est etiam doctis, artificisq. manu.
 Inde breui fiet, veterum ut monumenta recludi,
 Oraq. miremur, quae siluere nimis.

FRANCISCI CALÇAE
Barcinonensis equitis, & gy-
mnasiarchi Academiae
epigramma.

Ad Pet. Iohan. Nunnesium.

D Eliciū, atq. decus Musarū Petre Iohānes
Nunnesi nostri gloria magna soli.
Quo non eloquio maior, non coetior extat
Vllus in Europa, non probitate prior:
Dum non vulgatis discentes artib. ornas,
Optima perquirens, maxima quaeq. docens.
Papae dicendi quam tu feliciter artem,
Scripsisti nobis, optima quaeq. legens.
Aphthoniū, atq. alios ut miro huius ordine iūgēs
Perduxi in lucem, quae latuere prius.
Scilicet Hispanos sequitur nūc gloria per te,
Quae Graecos olim, postea quae Latinos.

^I
PET. IOHAN.
NUNNESII VALEN-
TINI INSTITVTIO-
num Rhetoricarum
libri.v.

Prolegomena artis Rhetoricae.



R HETORICA est facul- *Arist. 1.*
tas perspiciendi, quid sit in *Rhet.*
quaquere, quod valeat ad
persuadendum. Finis propo-
situs oratori est persuadere.
nam etsi alijs rebus vt pulcri-
tudine quispiam persuaserit, non tamē pro-
prie persuadere dicitur. Oratoris officium *Arist. 1.*
est apposite dicere ad persuadendum: perfe- *Topi.*
ctivero oratoris munus est nihil praetermit-
tere eorū, quae dicendo ad persuadendū sint
acommodata. Materia subiecta oratori, si
elocutionem spectes, latissime patet, nam ha-
bet quiddam necessarium fere in omni do- *Arist. 3.*
ctrina: alioqui materia illi subiecta erit po- *Rhet.*
tissimum causa ciuilis, id est quae in aliqua
societate ciuili exercetur, vt in iudicijs de-
fensio, & accusatio. Causarum autem ciuiliū *Arist. 1.*
tria sunt genera: demonstratiuum, quo lau- *Rhet.*
damus,

2. d. orat.

damus, aut vituperamus, vt in concione funebri, deliberatiuum, quo suademus, aut disuademus, iudiciale, quo defendimus, aut accusamus. Instrumenta oratoris aut sunt naturalia, aut studio parta: naturalia quidē ingenium, iudicium, memoria, vox, latera, decor, studium, & alia huiusmodi: quae etsi mediocria natura data sint oratori, maximo tamen ei erunt ornamento, possunt que eadē arte multum adiuuari. studio parta sunt: vt cognitio Grammaticae, lectio poetarum, & historiae, intelligentia quoque philosophiae moralis, & iurisprudentiae, sine vlla tamen serie disputationum, & sine vlla differendi subtilitate. Apparatus autem futuro oratori congruens ille erit, & longe omnium vtilissimus, vt multa ex sermone Latino in patrium, & ex patrio in Latinum conuertat, ita vt sententias de M. Tullij scriptisumat, aut alterius optimi scriptoris, vt possit suam orationē Latinam cum illorum oratione comparare. quo genere exercitationis illud allequetur, vt magistro Cicerone, aut Terentio ad sua scripta emendanda vtatur. illa autem obseruanda sunt ab eo, qui in hoc genere perfectum aliquid edere voluerit, vt sententias easdem conseruet, ordine, figuris, & verbis ad consuetudinem eius linguae, in quā transtulerit

De opt.
gen. M.
Fal.

stulerit, aptis. ille etiā apparatus oratori fructuosissimus erit, si sententias veterum, & optimorum scriptorum aut iisdem, aut alijs generibus dicendi imitetur. Quod quam commodissime facere poterit, si aliquid addiderit, detraxerit, inuerterit, aut certe commutauerit. Opera quae efficit orator aut sunt minora alijs, aut maiora. minora vocantur progymnasmata, idest praeludia quaedam, & quasi parua quaedam simulacra maiorum operum: opera maiora, si causae verae sint, appellantur orationes, quales sunt Ciceronis, si autem fictae fuerint, declamationes nominantur, quales sunt, quae extant Quintilianus vtriusque. In vtroque genere operum, vt aliquando perfecte a nobis fieri possit, quinq. genera exercitationum persequenda sunt: primum lectio multorum exemplorum quae veteres, & probati scriptores in eo genere reliquerunt: haec exercitatio suppeditat alimenta dictioni, vt Apollonius Molo dicere solebat. Secundum auditio eorum, aut certe lectio, qui posteriori saeculo veterum exempla imitati sunt. tertium nostra imitatio in quo genere illa ratio M. Antonij longe vtilissima est, vt optimum quodque exemplum ex veteribus eligas, cuius cum virtutes ex arte cognoueris, eas dicendo, aut scribendo accurate exprimas. quartum comparatio

Ex Theo
ne.Ex Theo
ne.

2. d. orat.

paratio cum veterum in eodem genere scriptis, vt ea ex arte meliora reddatur: quod facit M. Tullius in extremo oratore ad Brutum, cum sumit sententiam de Gracci oratione apud censores, eamque ordine verborum paulum commutato reddit aptiorem. Vltimum contentio cum veteribus, vt quos illi laudarent, tu vituperes, aut contra: vt cum Plato in Gorgia exagitasset principes viros Periclem, Themistoclem, Cimonem, & Miltiadem, Aristides in orationibus, quas reliquit scriptas pro quattuor viris, eos diligentissime tuetur. ita & Caesar in Anticato vituperauerat eum Catonem, quem M. Tullius laudauerat.

De diuisione totius artis.

Ex Hermogen.



HIS ita positis, diuiditur tota ars in quinque partes: quae sunt progymnasmata, status, inuentio, elocutio, & methodus prudentiae, siue grauitatis. In progymnasmatis duo cognoscenda sunt: vnum, quomodo possimus singula per se conficere, alterum, qua ratione ea in orationibus sint intexenda. In statibus etiam duo discuntur: vnum, quo modo possint capita praecipua ad orationes conscribendas inueniri,

niri, praesertim ad deliberatiuas, & iudiciales, alterum eadem capita quo ordine communi, & naturali collocari possint. Inuentio duo item docet: qui sint inueniendae partes illae vulgo notae orationis exordium scilicet, narratio, confirmatio, & peroratio, & quo ordine, & quatenus dilatari possint aliter atque inculcandis progymnasmatis. Ab elocutione duo quoque expectanda sunt: vnum, qua ratione singulae sententiae, & partes orationis simplici ratione ornari possint: quod genus ornamentorum Hermogenes appellat *4. de inuen.* figuram orationis. Alterum, quo modo ex multis tanquam membris forma quaedam orationis ab illis diuersa exprimitur: quam Hermogenes vocat Ideam. Methodus prudentiae hoc vnum profitetur, vt possit orator singula cum prudentia praestare. ad quam partem tanquam vltimam artis retulit etiam Hermogenes, si quid in arte praetermissum videbatur.

De progymnasmatis.



HIS quinque partibus de progymnasmatis primo disputandum est: cum sint ceteris faciliora, & similia quaedam orationum, aut certe earum partium, quibus orationes constant.

Hunc locum & Quintilianus, & Suetonius progymnasmatistribuerunt. Sunt autē quatuordecim progymnasmata: quae aut respondent singulis partibus orationis, vt narationi, naratiuncula, aut toti orationi, vt orationi in Pisonem M. Tullij respondet progymnasma cōparationis, aut non respondent, sed ornamento tantum sunt ad orationes cōponendas. Necessaria igitur praepōnenda sunt ijs, quae sunt tantum ornamento: atque ex necessarijs illa antecedant oportet, quae similia sunt singulis partib. orationis. Partes enim prius perficiendae sunt, quam tota oratio.

De fabula.

ex interp.
Hermog.



Via exordium secundum naturam est prima pars orationis, ei autem quam simillimū est fabulae progymnasmo, vt intelligetur, sic sit vt de eo primū in progymnasmatistribuendum sit. Est igitur fabula, quam apologum vocat M. Tullius, oratio ficta, quae verisimili dispositione refert speciem quandam veritatis causa admonitionis. Fabulae partes sunt duae: naratiuncula ficta, atque admonitio. Naratiuncula potest fieri aut oratione simplici, aut dialogo. Oratione quidem simplici: vt *simiae cum*

con-

conuenissent, vt de urbibus condendis hominum exemplo deliberarent, ea q. sententia placuisset omnibus, accessit quaedam natu grandior, quae illas ab eo instituto deterruit. Dialogo: vt cum simiae aliquando conuenissent, fertur illarū princeps sic ceteras allocuta. videtis quam trāquillā, & beatam vitam homines in urbibus transmittant, agite & nos illorum exemplo aliquando & urbes condamus, vt vitam beatam traducere possimus. quae sententia cum ceteris vehementer probaretur, parumq. abfuisse, quin decretum de ea re ex communi omnium sententia fieret, quaedā grandior natu his verbis usā dicitur: ita ne insanitis, vt in domos, & tecta recipi velitis? mea longe alia est sententia, ne tectis inclusae aliquando ab hominibus capiamur. huius oratione audita, cum ceteras simiae sententiam mutassent, subito concio dimissa est.

Qualis esse debeat naratiuncula fabulae.



Naratiuncula fabulae, quod omni narationi conuenit, dilucida, breuis, & verisimilis esse debet, dulcis praeterea, quod est magis propriū fabulae. dilucida igitur fiet, si verba adhibeantur vsitata, & a recto casu eam exordiamur.

Ex Hermog.

A 4

nam

Ex Theone. nã quod Aristoteles rectius esse existimauit, vt eas ab accusandi casu ordiremur, illud pertinet potius ad oratoris dignitatem, ne rebus incredibilibus fidem habere videatur. breuis erit, si nullae, aut si per exiguae sint verborum circuitiones, vt in superioribus exemplis. verisimilis autem erit, si rebus, locis, temporibus, atque eorum consecutionibus congruat. ita simiae imitatio, vulpi dolus, pauoni pulcritudo tribuetur. dulcis fiet, si nostri sermones, & mores ad ceteras res mutas transferantur: vt apparuit in superiori fabula simiarum.

De admonitione, & de generibus fabularum.



Admonitio, si fabula extra orationem per se exerceatur, postponi fere solet, vt legitur apud omnes scriptores fabularum. ita in superiori exemplo fabulae simiarum haec admonitio naratiunculam consequeretur: haec fabula nos monet, consiliis seniorum parendum esse. quod si in oratione fabula adhibeatur, praeponi solet admonitio, & varijs generibus fabularum postea illustrari. sunt autem fabularum tria genera: vnum, quod rationis par-

ticeps

ticeps appellatur, in quo inducuntur homines, aut dij, vt ethnici loquebantur, alterum moratum, in quo ceterae res inducuntur, tertium mistum, quod ex vtroque genere constat. Hoc quale sit exemplo plane intelligetur, & quanta copia suppetere possit oratori ex ista generum varietate. posset igitur quisquam avaritiam oratione sic infectari. *Quam taetrum vitium est avaritia? reuocate quaeso in memoria fabellas aniles: liceat aliquando nobis repuerasce re. nonne audistis canem, qui frustum carnis propter amne ore ferebat, cum speciei illius, quae in aqua amplior reddebatur, inhiaret, illud amississe? credo etiam vos memoria tenere fabulam illam hominis auari, cui vicinus thesaurum sustulerat: cumq. sublato thesauro auarus miserrime fleret, viator quidam praeteriens his verbis illum consolabatur. desine tantam vim lacrymarum profunderere. finge a te lapidem defossum, cum tibi thesaurus maiori v sui non esset. Sed quoniam repuerasce cū bona vestra venia coepimus, afferamus hominum, atq. ceterorum animalium aliquod exemplum. nota illa vulgo est fabella mulieris, cui gallina quaedam ova aurea pariebat. ea igitur, vt fructum vberiore ex gallina caperet, illam hoc deo saginabat: quae cum praesagina dirumpere- tur, gallinam, atque eius fructum, quem avidissime appetebat, perdidit.*

A 5

De

De vsu fabularum.

ex Theo-
ne.



Uam utilis sit fabula in confirma-
tione superior locus satis decla-
rat. est etiam vsui in naratione, cū
similis ei fuerit: ut Croesus rex Ly-

*Cic. I. de Inuen. Cicero. I de Inue-
tione.* diae, cum appeteret regnum Cyri regis Persa-
rum & suo, & alieno regno priuatus est: quod
& canelo accidisse in fabulis legimus: qui aures
sibi absidit, ut cornua, quae uehementer appete-
bat, posset capiti suo accommodare. itaque utro-
que ornamento caruit. utilis quoque est fabu-
la ad exordia conficienda: praesertim cum
auditores defessi sunt audiendo, aut a nobis
abalienati. quod Demosthenem probe in-
tellexisse legimus, cum in causa quadam gra-
ui hunc apologum coepit narare. adole-
scens quidam Athenis Megara, aut, ut alij Del-
phos, profecturus conduxerat asinum, cumq. ac-
stus meridie uigeret, deposito fasciculo sedit
ad umbram asini, quem agulo inde expulit, quod
diceret se asinum solum, non umbram una
cum asino locasse. qua fabula audita, cum
magnus risus a populo uniuerso fuisset
concitatus, Demosthenesque aufugisset, re-
uocatus a populo fertur illos sic increpasse.
*de umbra asini me dicentem libenter audieba-
tis, de*

tis, de causa uero graui differentem non audietis
aequo animo? Fabularum magna copia exis-
tet apud scriptores eius argumenti Aeso-
pum, & Babriam, & poetam Auienum.

Quomodo respondeat fa-
bula exordio.

IS ita constitutis perspicuum fiet,
qui respondeat fabula exordio. etenim
ut in fabula perfecta ex naratiuicula
nascitur admonitio, sic in exordio ex pro-
positione sequitur redditio. quin propositio
rationem fere explicat nostri instituti, ut
quia non est obscura tua in me beniuolentia, red
ditio uero ipsum institutum declarat, ut
sic sit, ut multi per me tibi commendari uelint. est
& illa similitudo: ut ex duabus, aut tribus
fabulis saepe eadem consequitur admonitio,
ut in tribus superioribus fabulis in auaros,
sic ex multis propositionibus eadem sequi-
tur redditio: ut tua in me constans beniuolentia,
meum q. in te perpetuum studium facit, ut mul-
tos tibi commendem. accedit etiam his tertia
similitudo: ut enim in fabulis admonitio &
praeponi, & postponi solet naratum culae,
sic & in exordijs propositio, aut redditioni
praeponitur, ut in illo quia non est obscura, aut
postponitur, ut in illo, multos tibi commende
lib. 13.

Hermo.
de inue.

ep. 70.
li. 13.

ep. 71.
lib. 13.

neccesse

necesse est, quando omnibus nota est nostra necessitudo. atq. haec de fabula. Naratiunculam autem non docuimus primo loco, quanuis in partibus fabulae numerata sit: quia vis, & natura fabulae in progymnasmatibus admonitione potius, quã naratiunculam spectat.

De naratiuncula.

li. 1. c. 9.



VM sit fere narratio secunda pars orationis, eiq. similis sit naratiuncula (sic enim cum Quintiliano hoc progymnasma appello) de ea secundo loco differendum est. Naratiuncula igitur est expositio brevis facti, aut tanquam facti. sub facto autem complector & dictum, & praetermissum, ut si quid narem non factum fuisse, aut non dictum, additur illud tanquam facti, propter naratiunculas falsas, & commenticias: quales sunt fabellarum naratiunculae. Sunt autem partes naratiunculae, praecipuae quidem factum, aut dictum, aut si quid praetermissum narratur.

Hermoge. prog.

Aphtho.

Ceterae vero consecutiones illae, quae vulgo circumstantiae vocantur, persona scilicet, causa, locus, tempus, atque modus. His additis, quod praecipue naramus, illustratur, ut apparebit in hoc exemplo naratiunculae cuiusdam poeticae. *Laocoon frater Anchisae*

Anchisae, cum contra Apollinis voluntatem, cuius sacerdos erat, uxorem duxisset, liberosq. ex ea suscepisset, Apollo ei insensissime iratus, captavit occasionem, qua illum ulcisceretur. cū igitur Laocoon aliquando sacra faceret Neptuno in littore Troiano, Apollo ex Tenedo insula, quae in conspectu Troiae sita est, dracones duos immanes in eum, eiusq. liberos praesentes immisit: qui implicati corporibus filiorum, eos primum, deinde patrem, qui opem ferre eis conabatur, neque tamē poterat, crudelissime necarunt. Haec igitur naratiuncula suis consecutionibus tanquam partibus illustrata est. posset tamē naratiunculae praeponi ingressio illa breuissima, quam ἔπος ἀφθόρον Aphthonius appellat, & brevis quoque epilogus postponi, ut facit idē Aphthonius in naratiuncula rosae: sed, quoniam hae partes non sunt necessariae, propterea fere omittuntur. licet tamen, cum separatim naratiunculam tractamus, praepone illam ingressionem: ut in proximo exemplo, si quis interitum Laocoontis, atq. eius filiorum nosse velit, haec legat & ad extremum brevis epilogus addi eodem modo potest his verbis: ita Laocoon, atque eius filij miserrime perierunt.

Cap. de thesi.

Quot modis efferri soleat naratiuncula.

Quam

Hermog.
g. prog.



Vanquam multis modis potest
 efferri naratiuncula, quinq. tamē
 sunt ceteris illustriores. primus,
 quia nominandi casu naratiun-
 culam orditur: vt *Medea filia regis Colchorum*
Aeetae, capta est amore Iasonis: qui profectus
erat Colchos cum Argonautis ad vellus aureum
surrupendum, eaque docuit Iasonem rationem,
qua sopito dracone, & necatis tauris, qui tem-
plum Martis, ubi vellus aureum asseruabatur,
custodiebant, illud surripere posset. Iasus igitur vel-
lus surripuit, Medeaq. illum in Ciracciam
secuta est una cum fratre Apfyrio, quem in
membra dissectum in itinere dispersit, ut patris
celeritatem, qui eam persequeretur, retardar-
et. Hic modus utilis est historiae, atq. na-
 rationibus orationum. hinc M. Tullius
 omnes fere narrationes suarum orationum a
 nominandi casu orditur. Secundus, cum eā-
 dem naratiunculam persequimur casibus o-
 bliquis: vt *Medeā praedicant, cum Iasonis*
amore capta esset, & quae sequuntur. Tertius,
 cum eadem naramus ijs vocabulis, quae ha-
 bent vim interrogandi, & reprehēdendi: vt *nō*
ne Medea capta est amore Iasonis &c. hi duo
 modi conueniunt confirmationi. Quartus
 fit, cum sine vinculis coniunctionum eandē
 naratiunculā cōplectimur: vt *Medea Iaso-*
nem vehementer amavit: Medea vellus aureū
 pro-

prodidit: eadem fratrem Apfyrium occidit. hic
 modus narandi est aptissimus perorationi.
 vltimus fit, cum comparamus crimina cum
 officijs, aut contra: vt *Medea, quae castissi-*
ma esse debuit, amore Iasonis incensa est: & ad
cuius dignitatem cura velleris aurei maxime
pertinebat, illud prodidit, & cui salus, & vita
fratris non minus, quam sua cara esse debuit,
illum crudelissime necavit. hic modus utilissi-
 mus est amplificationi. ex quo fit, vt locum
 habeat maximum cum in omnibus partibus
 orationis, tam in omni genere causarum.
 Hos modos narandi expressit Fortunatianus
 in disputatione de naratione.

De generibus naratiun- cularum.



Naratiuncularū praeter forenses, de
 quibus disputabitur, copiosius in
 inuentione Rhetorica, cum de na-
 ratione agetur, duo sunt genera.
 vnum fictum, quales sunt poeticae, vt illa
 superior Laocoontis, quas Higinus perfe-
 quitur diligentissime, alterū verum, cuius-
 modi sunt omnes fere historicae, vt illa su-
 pra exposita Croesi, & Cyri. Naratiuncula-
 rum copia suppetet in Verrinis Tullianis,
 sed

sed festiuorū, & breuiorum in libris eiusdem de Diuinatione.

De vsu naratiuncularum.

Inter.
Aphthō.



Naratiūcularū vsus latissime patet in confirmatione, cum sententiā nostram exemplis confirmamus: vt. M. Tullius in ea pro Cornelio Balbo probat parendum esse auctoritati Pompeij duobus exemplis: vno Romano Q. Metelli Numidici, altero Graeco Xenocratis philosophi. Sunt etiam vsui ad narrationes illustrandas: vt idem M. Tullius in Maniliana illustrat fugā Mithridatis regis, quam narabat, naratiuncula illa poetica de Medea. afferunt quoque ad exordia magnum adiumentum. hinc idem exorditur primam epist. li. 4. ad Sulpiciū C. Trebatius familiaris meus ad me scripsit, te ex se quaesisse & cet. & orati. de Haruspice resp. sic exorditur, postremo epilogis vtilis sunt, vt intelligetur, cū de communi loco disputabimus.

De chria.



Quattuor sequuntur deinceps progymnasmata similia confirmationi, chria scilicet sententia, refutatiūcula,

cula, & confirmatiuncula. liceat enim exemplo Quintilianī sic haec posteriora nominare. ex his quattuor chria ceteris est facilior. quare cum tertio loco sit de his disputandum, quod confirmationi, quae tertium locum in oratione tenet, respondeant, de chria primū agendū erit. Chria igitur est cōmemoratio breuis alicuius facti, aut dicti, aut vtriusq. quae vitae solet afferre utilitatē: vt Bio solebat dicere auaritiā metropolim esse omnium vitiorum. haec chria dicti est, illa facti: Pythagoras interrogatus, qualis sibi vita hominum videretur subito se ex oculis spectantium eripuit. vtiusque: vt illa Diogenis Cynici, qui cum puerum dissolutum vidisset, eius paedagogū baculo pulsauit, atq. addidit haec verba, siccine tu puerum instituis? Haec generum varietas, vt in fabulis expositum est, quod etiam de naratiunculis iudicandum est, affert oratori copiam, atq. vbertatem. Sed, quod est huius instituti magis proprium, chria octo partibus perficitur: quarum prima est exordium breui laudans auctore chriae. Cuius laudes, si notae non fuerint, confugiendū erit ad cōmunia, vt ad nationem, ad professionē: vt in exēplo, quod legitur prima Tusculana cuiusdā Lacaenae, quae patiētissime tulit nunciū de morte filij, sic exordiemur: Lacaena quaedā, disciplina illa seuerā, & legibus

Hermog
prog.

Interp.
Aphth.

bus Lycurgi educata, cui omne studium in pulue
re, sole, & laborib. fuerat, ita confirmatum habuit
se animū virtutis, & fortitudinis opinione fertur,
ut filij morte nunciata sententiam gravissimam
de morte contemnenda, quae vix a viro fortissimo,
sapientissimoq. expectari poterat, pronūciasse dica-
tur. quod si laudes eius, cui chria tribuitur,
multae, & illustres fuerint, quam paucissi-
mae commemorādae: reliquae praeteritio-
ne indicandae, aut certe omnes quam breuif-
sime percurrendae. laudes autem commode
effertur adhibita temporum distinctio:
vt Alexander Macedo, cuius imperium, cū vix
annos adolescentiae praetergressus esset, sinib. or-
biterrarū terminabatur, vt innumerabiles eius
anteactae vitae laudes praetermittā, fertur de a-
micitiae natura, atq. dignitate verissime aesti-
masse. Sed quae fuit eius de amicitia sententia? Se-
cunda expositio chriae imitatione, vt docui-
mus in apparatu paullulum dilatata, quae
potest etiam vt naratiuncula tractari: vt in
eodem exemplo, quo d ad extremam vsque
partem persequemur, is igitur, cum a familia-
ri quodam suo, qui nondum eius regiam, neq. opes
viderat, rogaretur, vt thesauros suos illi ostende-
ret, fertur vocasse unum ex domesticis suis, eiq.
iussisse ne aurum, aut argentum exponeret, sed
amicos, quos posset, suos proferret, Alexander di-
gitum ad amicos intendens in illis sibi defossos esse
the-

Hiermo-
ge.

Exordiū

Exposi-
tio.

sauros pronūciavit. Tertia laus breuis facti,
aut dicti addita ratione, quae ex circunstan-
tijs quam commodissime petetur: vt regalis
sane sententia, & tanto digna imperatore. nam
quid in bello sociorum auxilijs firmitus? quid ma-
gis tutum, quam cum finitimis amicitia constitu-
ta? quid autem in pace utilius, aut virtuti con-
gruentius, animorum, & studiorum coniunctio-
ne? iam vero quid pueris suavis collusorum
consuetudine? quid grandioribus natu delectabi-
lius, quam cum ijs, qui eiusdem ordinis, eius-
dem collegij sint, una versari? Quarta contra-
rium, in quo rationes antea propositae in-
uertuntur, contrarijs quidem verbis, sed Contra-
sensu, qui eodem reuoluatur: vt age vero rium.
amicitiam si tollas, quis militiae labores, & pe-
ricula aequo animo unquam perferet? quis
republicam reget? quae puerorum reliqua
erit oblectatio? quae adolescentium deliciae? in
quorum consuetudine aetas ingrauescens ac-
quiescet? Quinta similitudo, quae potest
elici ex natura rei propositae, sed multo
facilius ex metaphoris, quae in ea re dicun-
tur: vt cum de amicitia dicatur praesidium,
huiusmodi simile in hac re poterit propo-
ni: nam quemadmodum ciuitates, regna, at-
q. imperia suos sine praesidijs, & propu-
do.
gnaculis tueri facile non possunt, neq. iniurias ho-
stium propulsare, sic & humanae vitae con-
iunctio

Exēplū. inactio, si amicorum fides absit, parum, aut nihil habet firmamenti. Sexta exempla, quae suppetent ex poetis, historicis, & fabularum scriptoribus: tractanda autem sunt, ut in superioribus progymnasmatibus. ut proponite vobis heroum clarissima facta. Achilles Graecorum omnium fortissimus, cum aut moriendum illi esset, ut iniuriam illatam Patroclo videret, aut iniuria illa simulanda, & moderate ferenda, maluit vitam suam mortis periculo exponere, quam iniuriam factam amico inultam relinquere. Septima testimonium luculenti alicuius scriptoris: ut extat tragicorum clarissimus Euripides: qui tanta sapientia tragoedias scripsit, ut quot sunt eius versus, totidem eius sententiae esse credantur. is igitur de amicitiae natura idem, quod Alexander, sed aliquando ante videtur sensisse, cum scriptum reliquit, nihil amico stabili, & firmo hominum vitae esse fructuosius. Quod si testimonium non occurrat, ut edum praeteritione: ut taceo multa, quae possem hoc loco proferre testimonia. si chria fuerit facti, testimonium proponendum, quo consilium eius, qui fecit, comprobetur: ut in hac Alexandri apparuit. Ultima pars est epilogus, quo breui laudemus auctorem chriae, cohortemurque, ut ei & eius sententiae parere velint: ut Quare summis laudibus extollendus est Alexander, eiusque sententia de amicitia omnium monumentis, & sermone

prae-

praedicanda, ut eius auctoritate tantum praesidium vitae humanae summo studio omnes colamus. Chriarum copiam habebit, qui legerit eos auctores, qui apophthegmata collegerunt, ut Plutarchum, aut facta, & dicta memorabilia, ut Valerium Maximum. Vt sui etiam erunt & quae vulgo circūferuntur apophthegmata ex Cicer. collecta, atq. Stobaei sententiae, & vitae Laertij.

De usu chriarum.



Chriarum maximus est usus in confirmatione ad nostram sententiam stabiliendam: ut M. Tullius in ea pro Archia cum docet omnes homines vehementer delectari, quod eorum laudes scriptis celebrentur, profert illam chriam Themistoclis, qui rogatus quod acroama, aut cuius vocem libenter audiret, eius respondisse fertur, a quo res suae praecclare gestae praedicarentur. Vt sui etiam sunt chriae in exordijs: ita Cicero tertium librum de officiis ab illa chria exorditur, P. Scipionem, qui primus Africanus appellatus est, solitum esse dicere, se nunquam minus otiosum esse, quam cum in otio esset. Vt sui etiam in epilogo: ut in Cornelianae chriae Pompeij,

B 3

non

non contendendum cum alienis. Haec de
chria.

De sententia.

Arist. 2.
Rhet.

ex inter.
Aph.

DE sententia deinceps agendū, quia
eadem fere est eius, atq. chriae exer
citatio. est autem sententia, vt Rhe
totes definiunt, pronunciatum vniuersum,
quo aliquid hortamur, aut dehortamur,
aut demonstramus: vt *nequid nimis*. Haec
tantum differt a chria, quod cū proponitur
extra progymnasma, in ea nō adhibetur ne
cessario nomen auctoris: vt *nequid nimis*. at
chria nec intra ipsum progymnasma, neq.
extra progymnasma potest proponi sine no
mine auctoris. illa etiam dissimilitudo ma
xima est, quod in chria dictum, aut factū spe
ctamus, in sententia vero dictum tātum. hoc
progymnasma legitur libro quarto ad Herē
nū nomine ex politio nis eodem fere nume
ro partium, exemplo praeterea illustratum.

Quot partibus sententia ab soluatur.

Sententia constat ex iisdem partib.
quibus chria, atque eodem ordine
explicanda: quod perspicuum fiet
hoc

hoc exemplo. *Homerus litterarum princeps, Exorditū*
& poetarum pater, cum multis, usq. clarissimis
heroicis sententijs omnem posteritatem ad virtu
tis studium vehementer excitasset, unam in pri
mis maxime hominum generi salutarem pronun
ciauit de cura scilicet principum virorum, &
eorum, qui rem publicam gubernant. oportet, in
quit, principem virum, & in cuius potestate mul
ti populi sint, non totam noctem somno indulgere,
sed partim curis, partim negotijs agendis trans
mittere. Praeclara sane sententia, & tali, tan
toque poeta dignissima. Nam principi viro in
bello cogitanda multa sunt, de militibus, de com
meatu, de insidijs hostium, de proeliorum opportu
nitate. In pace, & otio, de magistratum ad
ministratione, de pacato, & tranquillo rei publi
cae statu: quae omnia cura, & vigilijs praestari
debent. Iam vero tollite curas, & vigilias prin
cipum, quanta rerum omnium consequetur per
turbatio? Nam quemadmodum gubernator,
si totam noctem stertat, nauem saluam, & in
columem vix trahi potest, ita qui Reip. clauem
tenent, si somno, & desidiae se dedant, ne minima
quidem partem Reip. in suo statu conserva
bunt. Quod praecclare intellexisse videtur Grae
corum princeps Agamemnon e cuius exercitu
Diomedes, & Ulysses magnanimi viri, ma
gnam partem noctis excubabant, vt ex spe
cula, insidias hostium prospicere possent. He
tor

Expositio.

Ratio.

Contra
rium.

Simile.

Exemplū.

Testimonium. Etor etiam Troianorum princeps fortissimus, Dolonem speculatorem, noctu mittebat, ut, quid ageretur in exercitu Graecorum, exploraret. Quam sententiam confirmat etiam vetus illud verbum omnium sermone usurpatum, In nocte consilium.

Epilogus quasi prudentiora consilia noctu capiuntur. Quare merito Homeri sententia summis laudibus extollenda, ei que summo studio parendum, ut qui alicui muneri praesunt, cum dignitate suam per se non sustineant. Huius progymnasmatismagna copia parare poterit quispiam ex Stobaeo, & libellis, qui vulgo leguntur ex Cicerone, & alijs auctoribus collecti. De sententia disseruit diligentissime Demetrius in libello de Elocutione.

De vsu sententiarum.

Sententiarum multiplex est vsus, in exordijs quidem: ut initio quinctae orationis in Verrem, omnes qui alterum, iudices, nullis impulsu inimicitijs, nulla priuatim laesi iniuria, nullo praemio adducti, in iudicium Reip. causa vocant, provide re debent, &c. in naratione item: ut in Quinctiana, qua ex re intelligi facile potuit, nullum esse officium tam sanctum, atq. sollempne, quod non auaritia comminueret, atq. violare soleat. in confirmatione etiam maximus: ut in Maniliana. neq. enim

enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet, neq. seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non vult. quin etiam in peroratione locus est sententijs: ut in extrema oratione pro Sex. Roscio. nam cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus etiam, qui naturam mitissimi sumus, a seuiditate molestiam sen sum omnem humanitatis ex animis amittimus. Atq. haec de sententia.

De refutatiuncula.



Reliquis progymnasmatism, quae respōdent cōfirmationi, facilior est refutatiuncula: quia facilius refellimus aliena, quam nostra cōfirmemus, propter quam causam de ea hoc loco disputandum est, & quod aliena plerūq. prius refellamus, quā nostra confirmemus. Refutatiuncula est oratio, qua refellimus naratiunculā aliquā. sunt autē ea refellēda, quae nec omnino certa, neq. plane falsa, sed quae media quadam natura praedita sunt.

Hermoge.

De partibus refutatiunculae.



Hoc prgymnasma constat, ex quattuor partibus exordio, naratiuncula, argumentis, atque epilogo. Exordium

Ex Theoc
ne.
dium vituperat breui auctorem naratiuncu-
lae, hoc modo. *Cum omne genus poetarum in-
fensissimo odio semper sum persecutus, quod de
veritate parum laborasse videntur, tum in pri-
mis Homeri scripta concoquere nullo modo pos-
sum, quod is, qui parens ceterorum fuisse existi-
matur, uniuersam suam poësim mendacis mul-
tis oppleuerit. quale est illud singulare, quod
initio historiae Troianae scriptum reliquit.*
Secunda pars nihil aliud est quam naratiun-
cula: quae, quomodo fieri posset, supra ex-
plicatum est. ea igitur talis erit in exemplo
proposito. *Chryses sacerdos Apollinis, ut ca-
ptiuam filiam redimere posset, profectus est ad classem
Graecorum, cum sceptro, & corona Apollinis, at-
que donis pulcerrimis, oransq. supplex, & Grae-
cos, & eorum principes, ut filiam sibi restitueret.*
Quod cum facile a populo impetrasset, repulsus
tamen a rege Agamemnone cum contumelia,
oravit Apollinem, ut eam iniuriam ulciscere-
tur. quare impetrata pestis taeterima in exer-
citu Graecorum peruagata est. Argumenta, qui-
bus refelluntur naratiunculae, ad sex capita
solent reuocari: quae sunt, obsecurum, improba-
bile, quod fieri non potest, repugnans, inde-
corum, & inutile. quae capita non sunt necessa-
rio certo ordine pertractanda, neque omnia
semper adhibenda, sed ea tantum, quae singu-
lis partibus conuenient. Fieri autem potest
plerumq.

Narati-
uncula.

plerumque, ut diuersae partes eiusdem nara-
tiunculae eodem capite infirmentur. ex his
capitibus argumenta facile eliciemus, si con-
secutiones, id est circumstantias eius nara-
tulae, quam refutandam suscepimus, diligenter
considerauerimus. Habet etiam Ironia, id est,
dissimulatio multum leporis in hoc genere.
Haec fiet illustriora, si idem exemplum persequa-
mur. *Senex aetate confectus, & annis ad hostium
acerrimorum classem accessisset, cum vix miles
aetate constanti, & roboris integritate id ausurus
fuisse videretur? cum certo nosset, & Troianis,
& finitimis omnibus Graecos fuisse infestissi-
mos? Desiderium credo filiae redimendae animam
ei addidisset: at metus hostium crudelissimorum
eundem aduenisset: poterant etiam illa solatio esse
seni, & illum domi continere: alios nimirum, & li-
beros, & uxores, & fortunas, & patriam cum coti-
melia amisisse, ipsum autem unam tantum filiam
perdidisse, eamque in excelsa dignitatis gradu apud
regem collocatam, ut meliore condicione, quam
ceteri captivi esse videretur. At sceptro, & coro-
nae Apollinis, quam secum gestabat, poterat confidere.
istane confidentia illud suscepisset, cum ei explo-
ratum esset Graecos in diripiendis viginti aut usque
plus urbibus nulli arae, nulli fano, nulli delubro
pepercisse: omnia ferro, igneque vastasse? illa autem quam
praeclare inter se cohaeret? rogat populum rogat, re-
gem. penes populum erat summa potestas, eoque
opus*

Improba-
bile.

Repu-
gnans.

Improbabile. opus erat regis praesidio? sin autem penes regem. nullum erat populium, nulla auctoritas. Neque vero credibile illud est, quin prius, quae esset voluntas regis, exquireretur, sententiam a populo de ea re pronunciatam fuisse. Nam illud fuisset imperium regis ad se transferre, neq. etiã rex perspecta populi voluntate, animum suum aliõ traduxisset. Nouerat siquidem imperia etiã potentissima dissensione populi, & regis quã facillime labefactari. Iam vero quid a regia dignitate, & splendore, magis alienam, quam sacerdotẽ contumeliose dimittere? cui vero vsui regi fuisset, & sacerdotem, & eius numen ignominia vexasse, cum puellam secum retinere potuisset? Pugnare etiam illa inter se sacerdotẽ non iussit occidi, quia Apollinem venerabatur, atq. eundem cum acerbissima iniuria exterminauit. Quod autem extremum est, quam longe abest a veritate? Sacerdos Dei minister, eius auxilium contra eos, qui de eo benemeriti fuerant, implorasset? quodq. indignius est, numen illud diuinum Graecis innocentibus, unius mulierculae, & regis causa pestem immisisset? Epilogus exagitat auctorem naratiunculae: vt Valeãt igitur poetarum fabulae, neq. nostros animos a studio veritatis in posterum abducant.

De confirmatiuncula.

Con-



Confirmatiuncula est oratio, qua *Hermogenaratiunculam* propositam commo-
probamus. eiusdem autem naturae sunt, quae confirmari solent, atq. ea, quae refutantur, vt nec sint omnino certa, neq. plane incerta. hoc progymnasma constat ex iisdem fere partibus, quibus refutatiuncula. Exordium in ea laudat auctorem naratiunculae, vt in eodem exemplo refutatiunculae superioris apparebit, vt intelligatur huius artis facultatem in contrarias partes valere. Nequeo satis mirari, quo animo, quaq. confidentia homines reperiantur, qui poetas insectari, & contumelias vexare audeant, cum eadem opera omnes Musas, earumq. iram in se concitent. Iniquiori autem animo illud ferendum est, ausos etiam Homerum attingere, quo magistro, vt sibi antiquitas persuasit, uniuersus orbis terrarum, & scribere, & loqui, & quod maximum est, sentire primum didicit. Naratiuncula non est tota simul adhibenda in confirmatiuncula: quia vix fieri potest, vt historias praesertim poéticas totas veras esse demonstremus, sed quasi membratim capita illius tantum adhibenda sunt, vt in exemplo superiori. Obijciunt igitur Homero minuti isti philosophi, quae initio Iliadis de aduentu Chrysaë commemorauit: quam autem vere, quae deinceps sequuntur, docebunt. Chrysaë sacerdos

Exordi-
um.

ad

ad classē Graecorum profectus est. Nunc adhibēda sunt, quae conueniunt argumenta ex contrarijs capitibus eorum, quibus ad refellendā naratiunculā utebamur. ea sunt: manifestū, probabile, quod fieri potest, cōsentaneū, decorū, atq. vtile. eodem autē modo tractanda, quo contraria capita in superiori progymnasmatē adhibebantur, vt nec omnia in eadem confirmatiuncula necesse sit adhiberi, & vt ad eādem sententiam confirmandā saepe diuersa capita valeant, atque ex iisdē locis circūstantiarū argumenta etiā depromenda sunt: vt, *Et merito quidē. pater enim erat: desiderio filiae recuperandae flagrabat pugnare autem parentes acerrime pro liberorum salute. deinde senex erat, vt non magno pere de longiori vita laborandum illi esset. Iam vero magnam vim pecuniae afferebat, qua filiam posset redimere. Neq. vero primus ipse eam consuetudinem redimendi captiuos inuenerat. Quod autem execraretur Troianos, mirum videri non debet: quia certo noverat eos auctores, & principes totius calamitatis Troianae, & simitissimorum extitisse. populus autē approbavit primum sententiam Chrysaē: recte vero. nam ita fieri solere accepimus, vt vulgus hominum facile ad misericordiam flectatur. cumq. magna esset eius populi libertas, non expectant, dum audiret, quid regi de ea re placeret. Rex autem*

Probabile.

Consentaneum.
Probabile.

quanquam populi voluntatem ad Chryseidem vtile redimendam propendere videbat, continuit tamen ipse se, neq. voluit illico Chryseidē reddere, ne si voluntati plebis statim obsequeretur, imperiū suum funditus deleteretur, tum etiā ne si plures captiui Chryseidis exēplo redimerentur, possent suis denunciare Graecorum consilia. Turpissimū vero erat, & longe alienū a regis dignitate solum illū ex principibus Graecis praemio, quod ex bello illi obtigerat, privatū esse, aequoq. animo ferre iniuriam fratri illatā, cum posset eodem genere contumeliae hostium feminas afficere. At Agamemnon coronam Apollinis, & sceptrum aureum despiciatū duxit. quid mirum? simulatq. homines impij praesertim bellum hostibus indicunt, omnia hostium ornamenta sunt illis insensissima, arae etiam, quod nefas est dicere, templa, monumenta, & sacra: quod autem contra Graecos, a quibus beneficium acceperat, auxilium Apollinis implorasset, mirandum non est. Nam si Agamemnon solus perisset, Graeci secum Chryseidem sustulissent, neq. spes vlla eius recuperandae patri reliqua fuisset: sed cū pestis Graecos invaderet, ne illud exitium indies cresceret, regē principes sollicitaturi erant, vt cognita causa irarū Apollinis tadē Chryseidē patri redderet. Epilogus breui laudat auctore naratiunculae: vt quapropter summis laudibus extollendi sunt

Decorū.

Consentaneum.

Vtile.

Epilogus

tanta prudentia ceteras res Troianas, atq. in ijs
aduentum Chrysaë persecutus est.

De vsu refutatiunculae, & con- firmatiunculae.

HAec duo progymnasmata vsui potis-
simum sunt in confirmatione, quae
tertia pars orationis est. Horum quã-
dam speciem adumbratam expressit M. Tul-
lius, in ea pro Sex. Rocio cum docet, quae
a poetis dicuntur de taedis ardentibus, quas
furiae gestabant, falsa esse, & qui vere sint
accipienda his verbis: *Nolite enim putare,
quemadmodum in fabulis saepe numero videtis,
eos qui aliquid impie, scelerateq. commiserint,
agitari, & perterreri furiarum taedis ardentibus.
sua quemq. frans, & suus terror maxime
vexat, suum quemq. scelus agitat, amentiaq.
afficit* & quae sequuntur. qui locus ita pla-
cuit Ciceroni, ut iisdem paene verbis eum
in eam Pisonem repetiuerit, cum inquit:
*Nolite enim putare P. C. ut in scaena videtis
homines cõsceleratos impulsu deorum terreri fu-
riarum taedis ardentibus & cetera* qui duo
loci, si inter se conferantur, magnam lucem
afferent ei imitationi, de qua supra in ap-
tium locum cum his comparare ex lib. i.
de

de Leg. cum ait, *agitant, & insectantur impios
furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed
angore conscientiae, & fraudis cruciatur.* huius-
modi igitur fabularum poeticarum explica-
tiones leguntur apud M. Tullium in libris
de natura deorum ad haec progymnasmata
exercenda aptissimae: quanquam multo plu-
res leguntur ex Graecis quidem apud Palae-
phatum, & Phurnutũ, ex Latinis vero scri-
ptoribus apud Fulgentium. Philostratus itẽ
in Heroicis multa Homeri refellit, alia con-
firmat. Magnam etiam copiam horum pro-
gymnasmatum suppeditabunt, qui contra-
gentes scripserunt: ut ex Latinis Arnobius,
ex Graecis D. Iustinus, Theodoritus, & alij.
magnus igitur vsus horum progymnasma-
tum in confirmatione. neque vero dubitari
potest, quin ceteris partibus aliquid afferant
praesidij. sed quoniam parum id est, & vix po-
test veterum scriptorum exemplis illustrari
ad cetera pergamus.

De communi loco, atq. eius partibus.



Roximum progymnasma superio-
ribus est locus communis, de quo
nunc agendum est: quia respondet
epilogo id est, vltimae parti oratio-
nis,

nis, immo vero ipse maxima parte est epilogi. Est autē locus cōmunis, amplificatio criminis confessi, aut demonstrati ad supplicium extorquendum. constat autē octo partibus: quarum prima est exordium de supplicio, quod viro scelerato debetur: vt si locus cōmunis suscipiatur in proditorem, tale poterit institui exordiū. *Singulari quodā Dei Opt. Max. beneficio contigisse videtur, vt iste proditor in vestram potestatem veniret, vt eum quam grauissime punire possetis: cumq. eos omnes, qui de Re pub. bene meriti sunt, multis, & magnis generibus honorum afficere soleatis. aequum est, vt eum qui patriam suam, rem publicam vestram, communemq. vestrum parentem perdere voluit, acerrime plectendum censeatis.* Secunda pars contrarium est eius criminis, quod insectatur locus communis, vt in eodem exemplo: *At omnes quidē vestri ciues certatim de ornanda patria, multis, & varijs officijs contendunt. alij legatione, alij muneribus obeundis, alij magistratibus gerendis, alij ciuibus erudiendis, alij his importandis, quae ad victum, vestitumue sunt necessaria: omnes etiam barbari, & immanes sua studia in patriam conferunt, quod & legibus humanis, & diuinis hoc sancitum esse videatur, vt patriam pie colamus.* Tertia pars naratiuncula facti non simplex illa quidem, sed cum amplificatio- ne: vt quae cū iste despicatui duceret, inraq. omnia

Aphtho.

Exordiū

Contrarium.

Expositio facti.

omnia & diuina, & humana violaret, ausus est patriam, in qua natus, educatusq. fuerat, in qua multis honoribus fuerat colatus, hostibus prode- re. communicabat ille quotidie vobiscum in foro, in curia, in comitijs versabatur: consilia vero vestra ad hostes deferabat, & vno verbo, patriam venalem illis proposuit. Quarta comparatio, in qua comparamus crimen propositum cū alijs criminibus, vt illud amplificemus: vt facinus est homicidium esse, scelus adulterum, nefas sacrilegum, sed omnium taeterimum, proditorem nam cum patria ab hostibus capitur, & virgines violantur, & uxores contumeliose tractantur, & fana diripiuntur, & ciues cuiusvis sexus, ordinis, aetatis impune, & vulgo occiduntur, et, quod omnium est indignissimum, templa igne, ferroq. vastantur. Quinta sententia, in qua animus iniquus eius, quem insectamur, aperitur, & quibus initijs, atq. gradibus ad hoc genus flagitij peruenerit: vt, is, cum otio, & ventri indulgeret, laboremq. magnopere vitaret, de prodenda patria coepit cogitare: quod expeditissima illa ratio ei videretur pecuniae comparandae. Sexta digressio in antea actam eius vitam: vt, ecquā putatis huius vitam antea actā fuisse, qui tantū flagitiū admiserit? certe credibile est omni genere vitiorū fuisse inquinatā. Septima remotio misericordiae: vt, quis igitur vestrū huius proditoris misericordia capiatur? Excitabūt videlicet vos ad mi-

Compara-
ratio.

Sententia

Crimina-
tio antea
actae vitaeRemotio
miseri-
cordiae.

sericordiam sordes liberorum, luctus, squalor, ciuium lacrymae. at horum misericordia comoueri quis iure possit, aut debeat? cum contra salutem, & patriae dignitatem misericordiam implorēt. non comouebant illū supra virginum, rapinae templorum, caedes ciuium, & uno verbo, patriae direptio, & interitus, vos autem eius misericordia

Syrianus

frangemini? Ultima pars continet aliquot ex sex capitibus, quae ad finem pertinere dicuntur, quod orationes illis fere terminentur: quae sunt legitimum, aequum, utile, quod fieri potest, gloriosum, atq. euentus: ut in eodem exemplo legitimum erit: si leges eos omnes

A legitimo.

cohonefari volunt, & praemijs affici, qui patriam tuentur, necesse est, ut eos grauissimis poenis plectendos censeant, qui de patria prodenda cogitent. aequum sic tractabitur: aequum autem

Ab aequo.

est, ut, qui in potestatem hostium patriam, atq. in vincula, & supplicia crudelissima ciues conijcere moliretur, is acerrime puniatur. utile sic exponetur: quid autem vobis utilius, quam de eo supplicium sumere, ut eius exemplo nefarii, & audaces homines sibi in posterum caueant? Gloriosum sic adhibebitur: summa vero laus, & gloria, dum vita spirabitis, & post mortem vos consequetur, si huius supplicio patriam a metu proditoris in perpetuum liberaueritis. Locum communem si quis velit pro viro forti instituere, quanquam veteribus non magno pe-

Ab utili

re pro-

A glorioso.

re pro-

re probatur, facile illud perficiet, si capita contraria superioribus persequatur. cuius generis exempla poteris multa colligere ex epilogis earum orationum, quas M. Tullius pro aliquo habuit. in illis enim praeter exordium, quod progymnasmati praeponitur exempli, & exercitationis causa, cetera capita leguntur, quanuis non omnia in eodem epilogo, neq. plane eodem ordine, quo traduntur hoc loco.

De vsu loci communis.



Locus communis vsus frequentissimus est in peroratione. etenim detracto prooemio, reliqua pars huius progymnasmatiss, nihil aliud plane est, quam epilogus, ac praesertim in genere iudiciali. in genus etiam illud quo deliberamus, cadit haec ratio. quin & in tertium illud, quo laudamus, aut vituperamus, si minus tota, certe ea pars, qua continentur capita, quae ad finem pertinere dicuntur. ut in peroratione orationis Manilianae licet perspicere: ubi M. Tullius hortatur C. Manilium ab eo, quod fieri potest, ut in sententia permaneat. utimur etiam communi loco in confirmatione, ut M. Tullius in ea pro Sex. Roscio,

cum insectatur accusatores impudentes. in ceteris partibus orationis vix leguntur loci communes. atq. haec de ijs progymnasmatibus, quae singulis partibus orationis respondent. nam si quis forte arbitretur praeter fabulam, & naratiunculam, cetera progymnasmata, quae haecenus exposita sunt, toti orationi similia esse, quod initio speciem quandam exordij, deinde narrationis, tum ad extremum epilogi praeserant, is intelligat illa exercitationis causa in illis adhiberi, & singula progymnasmata, non ex partibus, sed ex fine cuiusq. pendenda esse. quare cum in chria tantum propositum sit factum alicuius, aut dictum cum ratione approbare, quod est proprium confirmationis, ei tantum parti chria respondere dicetur. idem est de ceteris progymnasmatibus existimandum.

De laudatione.

Libro. I.



Aetenus disputatum est de ijs progymnasmatibus, quae singulis partibus orationis respondet, nunc de illis agendum, quae toti orationi similia sunt. ea sunt laudatio, vituperatio, & comparatio: nisi malis exemplo Quintilianii, quod breues exercitationes sint, laudatiunculam nominare, vituperatiunculam, & comparatiunculam.

ex

ex his progymnasmatibus laudi primus locus tribuitur, quod ex eius artificio reliquorum ratio intelligatur. est igitur laus oratio, quae exponit bona, quae insunt in vnaquaque re. laudatur autem Deus, homines, animalia, stirpes, loca, tempora, atque res ceterae mutae. Laus personarum, ex qua ceterae tanquam ab exemplo proficiscuntur, quattuor partibus continetur: exordio, expositione, comparatione, atque epilogo. in exordio haec fere adhibenda sunt: a laudatione illis debita, dignos esse, quos omnes homines admirentur. a suasionem, tribuendum esse eis honorem, omnes homines eorum virtutes praedicare oportere. ab auditore, ut id initio depellamus, quod offendere animos auditorum possit, siue sit illud positum in oratore, siue in argumento, siue in ipsa oratione: ut in oratore ingenij imbecillitas, in argumento, humile, & tenue esse, in oratione, parum exultam esse. sumamus igitur exemplum tale de laude Aristotelis. cum ceteri philosophi excellentes, qui rerum naturam, rationemque optime administrandas reipublicae aperuerunt, digni sunt, quos omnis posteritas admiretur, tum in primis Aristoteles: cuius beneficio sic culta, & aucta est philosophia, ut ad summum perducta esse videatur. quare statui mearum esse partium eius laudes sin minus omnes, aliquas certe dicendo persequi: praesertim cum eius di-

Aphtho.

Arist. 1.
Rhet.

Arist. 3.
Rhet.

Exordium

sciplinae alumnus sim, atq. ei tantum debeam, ut in referenda gratia videar mihi nullam, aut per exiguam eius in me officiorum partem assequi posse. expositio bonorum in sex fere partes tribui potest: quae sunt genus, natura, educatio, actiones, honores, & mors. genus etiam diuidi potest in quattuor partes, nationem patriam, maiores, & parentes. possu- mus etiam addere, si quid singulare in eius ortu contigerit, aut in somnis visum, aut au- ditum. in his quattuor partibus generis, & in ceteris capitibus, si quid habeat parum or- namenti, aut omittendum prorsus est, aut di- cēdū nos properare ad alias laudes illustrio- res. ex his capitibus sic laudabitur idem Ari- stoteles: natus igitur Aristoteles est apud Ma- cedones nationem bellicosissimam, & imperio or- bisterrarum, & duobus regibus potentissimis po- stea clarissimam. a patria, opido quidem tenui, sed quod multis ornamentis idem Aristoteles nobi- litauit. a maioribus, & parentibus, paren- tes habuit ex clarissima familia Asclepiada- rum. inter quos Machaon Aesculapii filius mi- rabiliter arte medica excelluit, & gloria rei mi- litaris, qui unus inter principes Graeciae in equo etiā Troiano inclusus latuerat. Natura comple- ctitur dona naturalia corporis, & animi: in donis corporis illa numerantur: integra vale- tudo, velocitas, vires, pulcritudo, & corpo- ris

A gene-
re.

ris proceritas, in donis animi, ingenium, iu- dicium, memoria, studium, mores etiam: ut facilem esse, & suauē. ex his illud accomoda- bitur Aristoteli: erat adolescens tanta acie in- genij, ut Plato, cum is in academia non adesset, mentem abesse diceret. educatio haec conti- net, apud quos fuerit educatus, quo genere victus, & alimentorum, sub quo genere rei- publicae, quā artem professus fuerit, quibus magistris ad eam cognoscendam vsus: ut, tantam vim ingenij exercuit a puero in ijs arti- bus intelligendis, quibus ad humanitatem infor- mamur, adhibuitq. ad eas cognoscendas magis- tros in eo genere litterarum perfectissimos, ut in philosophia Socratem, & Platonem eius studij principes clarissimos. Actiones latissime om- niū patent: quae explicandae sunt secun- dum singulas virtutes: hoc loco explicandū, quae bona externa illi contigerint, ut opes, familia, amici, cognati, quomodo illa com- pararit, & quo pacto ijs vsus fuerit. ut quis Aristotele gratior? qui cum a Proxeno Atarnensi puer educatus esset, ei, atq. eius uxori statuas singulas posuit, eiusq. filio filiam suam despondit? quanta autē eius pietas in magistros, qui Platoni aram cum ellogio consecrauit? quan- ta etiam in patriam, & suos ciues pietas eius fuit, qui patriam euersam beneficio Alexandri in integrum recuperandam, suisq. ciuibus liber-

Anatura

Ab edu-
catione.

Ab actio-
nibus.

tatem pristinam restituendam curavit? quis in omni genere artium, & litterarum perfectior potest inveniri? quam rem tot libri in omni genere artium tam admirabili ratione, & via conscripti satis declarant: Grammaticam commentariis Homericis ornauit, eamque primus in artem redegit, Historiam ducentis, & ijs amplius rebus publicis describendis, poeticam eius artificio intimo notando corroborauit, Rhetoricam exornauit tota eius facultate diligentissime explicata, analyticam, quam inchoata, & rudem a maioribus acceperat, perfecit, dialecticam vero, quae nondum plane ex tabat, primus in lucem protulit, in utraque philosophia ea ratione, & via omnia persecutus est, ut nihil posteris reliquum fecisse videatur. Quinta

Ab honoribus. honores: ut, propter quam causam maximi illi honores ab hominibus eius aetatis, ac praesertim a duobus regibus potentissimis Philippo, & Alexandro, & ab omni posteritate habiti sunt.

Mors. hic, si vita longior illi, quem laudas, contigerit, dicendum. Ultima mors: ut gloriosissimam porro mortem pro studio veritatis post tot exantlatos labores obijt. si qui autem honores ei post mortem habiti, hoc loco possunt commemorari: ut, merito igitur huic statua apud Graecos posita, in qua Graeco sermone inscriptum erat, Aristoteles philosophorum optimus, quam eorum sententiam uniuersa posteritas comprobauit. hoc loco cesset Hermogenes in serendum, si quid laudabile

de filiis

**In pro-
gymn.**

de filiis eius, quem laudas, dici potest: ut, Aristoteles filium reliquit Nicomachum, qui ab eius instituto, & genere vitae non degenerauit. nam & Theophrastus omnium Peripateticorum excepto Aristotele, longe doctissimum, tanto studio, tantaque diligentia audiuit, ut & libros de moribus accurate scriptos reliquisse dicatur. Huc etiam referri possunt nepotes, atque eorum posteri, discipuli quoque nobiles, & qui eos audiuerunt, si qui videantur excelluisse: ut, quot, & quanti viri e schola Aristotelis exierunt? quam perfecti singuli in suo genere? quam suaves? quam copiosi? quantus Theophrastus? quam in musicis Aristoxenus? quantus in historia Callisthenes? atque ex auditoribus Theophrasti, ut alios omittam, quantus in litteris, & republica Demetrius? quantus in medicina Erasistratus? quantus in comoedia Menander? post haec capita breuis quaedam comparatio interponi solet: ut, **Compa-
ratio.** quisquam audebit Platonem huic antepone, cum ille neque tot, neque tanta ornamenta philosophiae attulerit, hic vero certissima ratione, & via uniuersam philosophiam explicarit? Epilogus breui optatione concluditur: ut, **Epilogus** quapropter Deum Optimum Maximum humili prece obsecremus, ut tales philosophos multos nostrae reipublicae largiri velit. huiusmodi est laus personarum. alia eadem ratione laudabuntur, dum singulis accommodetur, ea quae illis conueniunt: ut laudi urbium conditores pro parentibus, sic ceteris rebus earum inuectores loco

parentum

rentum sunt: vt Zeno dialecticae. actionū tamen loco vtilitates eius rei sunt commemorandae. in quibus autem potest pertractari, cui ex dijs ethnicorū ea res sacra esset, id quoq. in magna parte laudis ab ethnicis solet poni: vt olea sacra erat Mineruae, myrtus Veneri, sic noctua Mineruae, & columba Veneri. potest etiam explicari in laude rerum mutarum, qui illis vsi fuerint, vt venatione heroes. magna quoq. facultas suppetit ad has res laudandas ex qualitate animi, & corporis eorum, qui illas colunt, & tractāt: vt venatores integri corporibus, audaces, acuti, fortes. Quoniam autem maxima pars in alijs rebus laudandis ex earum vtilitatibus petitur, vt in homine ex rebus praeclare gestis, vtilitas vero vnum est ex capitibus, quae in thesi disputanda adhibentur, quin & reliqua capita thetica possunt ad huiusmodi laudes transferri, propterea fortasse Sopater in diuisionibus quaestionum hoc genus laudis theticam laudem appellauit. qualis est illa sapientiae, quae legitur apud Aphthoniū. atq. haec capita satis amplam suppeditant copiam ad laudandum. si quis autem plura desiderat, legat Menandrum Laodicensem de genere epidiectico, qui omnium copiosissime de hoc argumento disputat.

De

De vituperatione.



Audem sequitur vituperatio: quia earūdem fere rerum est, & ex iisdē capitibus perficitur, ex quibus laudatio, dum sensu contrario pertractentur, quod fiet exemplo perspicuum. *Cum genus omne vitiorum detestandum, & magno generis humani odio dignum, tum vero omnium maximo facultas ista sophistarum fallax, & dolosa: quae si quem miserum ceperit, a studio veritatis ad eius speciem quandam falsam, & simulatam totum traducit. Natum, & constat hoc monstrum foedissimū ex duabus pestibus teterrimis, & perniciosissimis arrogantia, & auaritia, educatum, atq. eruditum parentum imitatione, in quaestu, sordibus, fraude, & insolentia, eo processit corroborata iam aetate, vt sui quā simillima potentia sophistas scilicet procrearet. at quos homines! quorum alij cum certos locos haberent, quibus tanquam ex cōmentariolis differerent, tamē non in circulis tantum, aut compitis, sed apud Amphictyones, id est in maximo totius imperij Graeci, omniumq. eius gentium conuentu poscere auderent, de qua re quisque audire vellet, seq. ad dicendum paratos denunciarent. alij gloriosiores, qui vulgo iactitarent se non solum ea omnia nosse, quae elegantioribus artibus contine-*

Exordium.

Genus.

Educatio.

Actiones

rentur.

rentur, sed etiam, quod artificium plenum sordium est, se sua manu vestitum omnem etiam annulos confecisse. alij longe omnium audacissimi non contenti ista inani, & gloriosa apud homines omnium scientiarum, atq. artium ostentatione, gigantium exemplo, cum se insolentius extulissent, diuinum numen, quod nefas dictu, suo loco mouere, & conuellerent suis impudentissimis captionibus ausi sunt. atq. haec quidem moliebatur, qui ceteris, ut illis videbatur, erant sapientiores. nam vulgus illorum quae stui potius, quam gloriae inhians, alios dolos machinabatur, ut cum rudes homines, & ignaros in laqueos suos coniecissent, irretitosq. tenerent, non prius eos expedirent, quam mercedem, eamq. magnam illis persoluissent. neq. vero rudes solum homines, & agrestes adoriebantur: cum Socrate, quem Graecia uniuersa omnium sapientissimum etiam absq. testimonio Apollinis agnoscebat, congregari non erubuerunt. cuius congressum, & sermones si vitassent, melius certe sibi consulissent. nam is eos facetissime eludebat, eorum studium scite exagitabat, omnia eorum vitia, atq. ignorantiam apertissime detegebat. ita seras quidem, sed iustas, & debitas poenas suae temeritatis luebant: opidis, urbibus, hominum coetu exterminabantur. hoc malum tam intolerabile, cum posteriori saeculo renasceretur, edicto seuerissimo censorum excisum est. ecquisquam audebit postea istos cum pharmacopolis circumferantibus comparare? qui,

Honores

Comparatio.

etiam

etiam si argentum emungunt, nullum praeterea magnum afferunt detrimentum? quare ne Epilogus
denuo haec labes excitetur, Deum Op. Max. supplices deprecemur, ut tantum exitium a nobis, posterisq. nostris auertere velit.

De vsu laudationis, & vituperationis.



Laudatio, & vituperatio vsui maximo sunt in omnibus partibus orationis: ac primum in exordijs laudamus fere auditores, ac praesertim iudices, & eos, qui assunt in concilio, atq. etiam patronos aliquando aduersariorum, & aduersarios nostros vituperamus, quae sunt apud M. Tullium in exordijs orationum frequentissima: ut factum Caesaris in restituendo Marcello initio eius orationis, quam pro eo habuit. quin & eos ipsos, pro quibus dicimus, in exordijs saepe aperte laudamus: ut M. Tullius initio quartae Verrinae Siciliae. saepe etiam orator seipsum laudat in exordio modice tamen, ut in Maniliana: nam cum propter dilationem comitiorum ter praetor primus centurijs cunctis renunciatus sum &c. Vituperat M. Tullius factum Rabirij in exordio orationis pro Rabirio Postumo. in naratione etiam laudamus, & vituperamus: ut

in ea

in ea pro Sex. Roscio laudat M. Tullius Caeciliam Nepotis Metelli filiam his verbis, *in qua muliere, Iudices, etiam nunc, id quod omnes semper existimauerunt, quasi exempli causa vestigia antiqui officij remanet & quae sequuntur.* in ea pro Cecina vituperat idem Acbutium, cum inquit: *quam personam ex quotidiana cognoscitis vita, mulierum assentatoris, cognitoris viduarum, defensoris nimium litigiosi, conciti ad rixam, inepti, ac stulti inter viros, inter mulieres periti iuris, & callidi.* in confirmatione vero nemini dubium, quin sint necessariae laus, & vituperatio, cum sit vnum genus causarum in illis positum. extat Maniliana oratio Ciceronis, quae etiam si in deliberatione versatur, magna tamen ex parte laudes Pompeij in confirmatione persequitur. quid autem aliud fere est tota interrogatio in Vatinium, nisi eius vituperatio. Secunda etiam Philippica nihil aliud nisi vituperationem M. Antonij fere persequitur ab illo praesertim loco: *Iam enim, quoniam criminibus eius satis respondi, de ipso emendatore & correctore nostro quaedam dicenda sunt.* nam de epilogis dubitari non potest, quin laus, & vituperatio plurimum in illis valeant. exempla proferamus: in peroratione Fonteianae laudat Fonteium elegantissime ab illo loco: *praesertim cum tot res sint, quae vestris animis*

pro

pro huius innocentis salute supplicent. & in epilogo Coelianae commendat Coelium ab illo loco: *cuius prima aetas dedita disciplinis fuit, usque artibus, quibus instruimur & quae sequuntur.* in ea pro Sex. Roscio Chryso gonum vituperat, cum ait: *videtis, iudices, ut omnes despiciat, ut hominem praese neminem putet, ut se solum beatum, solum potentem putet &c.* magna copia vituperationum suppetet in accusationibus Tullianis, laudationum vero in defensionibus, & in Bruto.

De comparatione.



Comparatio sequitur: quae fit, cum docemus ea, quae sub laudem, & vituperationem cadunt, aut paria esse inter se, aut vnum maius altero. perficitur autem ex iisdem partibus, & capitibus, quibus laus, & vituperatio: comparatio tamen non est separatim requirenda, cum totum progymnasma nihil aliud sit, quam comparatio. neque vero longe disiungenda sunt, quae conferuntur: ut oratio sit acrior quod planum fiet exemplis, ut hoc Achillis & Diomedis. *Achillis ego virtutem nunquam mihi persuasi tantam esse, ut ceteris Graecis longe praestaret: quin Diomedes, quod facile demonstrari*

D posse,

Aphth.

Ex Theone.

Exordiū

Genus.

posse videtur, multum illi antecellit. Nam ut genus utriusque, dona naturae, educationē omittā, in quibus non est multum laudis ponendū, res gestae utriusq. facile hanc sententiam confirmabunt. vocantur omnes Graeci ad bellū Troianum Achilles abdidit se in Parthenonē, & ornata muliebri simulat se esse virginem, ne ad bellū proficisci cogatur: Diomedes libentissimo animo ad bellum proficiscitur, quin & ceteros Graecos ad illud suscipiendum, atque etiam eundem Achillem studiosissime hortatur. Primo proelio laudatur Achilles, laudatur etiam Diomedes: longo post intervallo, cum pestis grassaretur, inspectante cuncto exercitu Graecorū Achilles vexat contumeliose regem eorum Agamemnonem propter libidinē, qua captus amore unius mulierculae turpissime tenebatur: eoq. irarum processit, ut districto gladio Agamemnonem interimere conaretur, nisi quispiam ex illis commenticijs dijs eū repressisset. Diomedes vero ita strenue pugnabat, ut Marti etiam, & Veneri gravissima vulnera infligeret. mittuntur legati ab universo exercitu ad Achillē, ut ad bellū cōficiendū prodiret, dimittit legatos etiā cū cōtumelia. Diomedes vero ita suā operā bello cōficiēdo nauat, ut nocturnis proelis amissā Graecorū dignitatē recuperaret. Achilles occidit quidē Hectorē sed eius facti dux, & auctor fuerat Ajax, qui singulari certamine antea Hectorē sorte delectus oppresserat: uniuersus autē

exerc

exercitus Diomedē ad illud certamē magna contentione petierat. Achilles post Hectorē interfecit & Polyxenae amore inflammatur, & ut suam cupiditatem explere posset, ad hostes deficit. Diomedes capto Palladio certissimam spem victoriae cōsequēdae suis ostendit, cū omnis salus urbis Troiae ex Palladio pēderet. age vero quā dissimilis mors utriusque? Achilles apud ignauissimū Alexandrū Paridē turpissime moritur, Diomedes Ilio capta cū suis cū dignitate reuertitur, urbē apud Italos condidit, in qua mortē cum dignitate optinuit. Quare quis nō anteponet Diomedē Achilli, cum ostensum plane sit, illam superiorem multo reb. praeclare gestis fuisse?

Mors.

Epilogs.

De comparationis usu.



Timur comparatione in exordijs: ut M. Tullius in exordio Quinctianae se cōparat cū Hortētio patrono aduersarij, & Nacuiū aduersariū cū Quinctio. in naratione etiā adhibetur cōparatio: ut in Miloniana, cū confert apparatus, et comitatum Clodij cū Milonis comitatu his verbis: obuiā sitei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimētis, nullis Graecis comitibus, ut solebat, sine uxore, quod nunquā fere, cū hic insidiator, qui iter illud ad caedē faciendam apparasset, cū uxore uerberetur in rheda paenulatus, vulgi magno impedi

D 2

mento

mento, ac muliebri, & delicato ancillarum, puero
 rūq. comitatu. in confirmatione autē frequen-
 tissimus comparationis vsus, vt intelligitur
 ex Diuinatione in Verrē, & oratione in Pi-
 sonē, quae solam fere comparationem com-
 plectuntur. in epilogis tandē vsui est compa-
 ratio: quod satis declarat quarta illa pars su-
 pra explicata in progymnasmate loci cōmu-
 nis. ita in peroratione Quinctiana confert
 Cicero cū Quinctio Naeuium ab illo loco:
*si causa cum causa contenderet & quae sequun-
 tur. in eadē paullo post illa cōparatio legi-
 tur elegantissima: miserum est exturbari fortuna
 nis omnib. miserius est iniuria: acerbum est ab
 aliquo circumueniri, acerbius a propinquo &c.*
 hoc progymnasma est aptissimum ad ampli-
 ficandū, vt apparuit in cōmuni loco, & in
 laude, & vituperatione. huic progymnasma-
 ti suppetet magna copia exēplorū ex Paralle-
 lis Plutarchi. atq. haec de progymnasmatibus,
 quae orationi integrae respōdēt, nūc de reli-
 quis, quae ornamento tantū sunt, dicēdū est.

De ethopoeia.



Reliqua progymnasmata sūt etho-
 poeia, descriptio, thesis, & legis-
 latio. ex quibus primū locū obti-
 net ethopoeia: fortasse quia faci-
 lius.

lius fit. nā in thesi, & legislatione difficilis est
 & perobscura oppositionū, & solutionū in-
 uentio: in descriptione autem, dum singula
 minutatim exprimantur, & quasi oculis sub-
 ijciantur, multum est negotij sustinendum. est
 igitur et homopoeia imitatio sermonis ad mo-
 res, & subiectas personas, aut res accōmoda-
 ta. huius tres sunt formae: ethopoeia, idolo-
 poeia, & prosopopeia. ethopoeia fit, cū fin-
 gimus, quid dicerent viuentes: vt quarto ad
 Herennium in exēplo sermocinationis, sice-
 nim videtur ille scriptor ethopoeiā apella-
 re. idolo poeia, cū mortuos loqui fingimus:
 vt ibidem in exemplis conformationis indu-
 citur L. Brutus elegantissime loquens. pro-
 sopopeia, cū ceterae res loquentes inducun-
 tur: vt in eodē loco vrbs Roma. His addit
 Emporius pathopoeiā, cū vehementē ali-
 quē affectū oratione imitamur: quae vide-
 tur harum omniū cōmunis, vt et illa etiam
 quā ethopoeiā idē proprio nomine appellat
 in hoc progymnasmate magna personarū, &
 tēporū ratio habēda est. nā alius est sermo iu-
 uenis, ali' senis, alius dolētis, alius gaudētis.
 capitū autē loco hoc progymnasma diuidi-
 tur in tria tēpora praesens, praeteritū, & fu-
 turū. exēplo tota haec disputatio illustrabi-
 tur: vt in laude Aristotelis, quā supra adhi-
 buimus, si quis philosophiā inducat loquē-

Hermoge.

A phth.

Hermoge.

A phth.

Ex praeteritis.

tē hoc modo. Videor mihi videre hoc loco philosophiam cum Aristotele sic loquentē. Salve mi alumne, praesidium, & ornamentum meae gloriae, & dignitatis. Quis me pluribus honoribus, quam tu affecit? Quis plura ornamenta in uniuersam meam familiam contulit? tu nomē ministrae meae, & comitis Logicae semisepultum, in hanc lucē, & vitam reuocasti. tu physiologiae, cuius partes tanquam membra Apsyrri dissipatae iacebant, uno loco, coq. illi siri a principio ad extremum perpetua serie disputationū digestas, collocasti. tu mores hominū, tu rationem administrandarum rerum publicarum quamplurissime explicasti. tu elationem, & insolentiā nostrae aemulae eloquentiae tua singulari industria fregisti. ac, ne longum faciam, omnem omnium artium laudatarum vim, & facultatem mihi, ut optimus alumnus acceptam retulisti. tu Theophrastum, de quo grauissimum iudicium, & sine ulla inuidia feceras, heredem tuae familiae, & disciplinae sapienter instituis. tu in eo omnem spem tuae posteritatis merito figis, & collocas. Qua propter magna, & certissima spes me tenet sperare, ut meum nomen, meaq. gloria, quae aliquantulum a maleuolis, & inuidis opprimebatur, in perpetuum propagetur: cuius ego beneficij memor tui nominis, & dignitatis memoriam immortalitati consecrabo.

Ex praesenti.

Ex futuro.

De

De usu ethopoeiae.

Ethopoeia maximā affert utilitatē omnibus generibus causarū, & orationū partibus, ac praesertim perorationi: ut in Miloniana inducit M. Tullius loquentem Milonem his verbis: *valeant, valeant, ciues mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati. stet haec urbs praeclara, mihiq. patria carissima, quoquomodo merita de me erit, & quae sequuntur.* utilis etiam in confirmatione, qualis illa Appij contra Clodiū in ea pro Coelio cū inquit: *mulier quid tibi cum Coelio, quid cū homine adolescentulo? quid cū alieno? cur autē tā familiaris huic fuisti?* & narrationē quoq. illustrat maxime ethopoeia: ut in ea pro Quintio illa Nauij: *ibi tū vir optimus Sex. Nauius hominē multis verbis deterret, ne auktionetur, eū nō ita cōmode posse eo tēpore, quo proscripisset, videri & quae sequuntur.* ornat itē exordia, quāuis non ita frequēter, ut ceteras partes. itaq. vix eius exemplum suppetit ex orationibus Tullianis: etsi Quintilianus ait M. Tulliū in ea pro Scauro ambitus reo usum esse pro ethopoeia in exordio. in Diuinatione in Verrē species tantū quaedā eius apparet, cū recitat verba Siculorum sic: *me saepe esse pollicitū, saepe ostendisse dicebāt, si quod tēpus accidisset, quo tēpore aliquid a me requirerent &c. non*

D 4

decrit

deerit nobis copia ethopoeiarū ex epistolis M. Tullij. ex quibus poterunt induci cōmēdantes alios, gratias agentes, gratulātes, &c. praesertim cum Theo epistolas sub ethopoeijs contineri arbitretur.

De descriptione.

Hoc progymnasma quidam ex veteribus non docuerūt separatim: quod in fabula, & naratiuncula, esset antea occupatū. Hermogenes tamē censuit exēplo aliorū auctorū per se explicandū esse. quam sententiā praeclare confirmāt imagines Philostrati, & descriptiones Callistrati: quae nihil aliud plane sunt, nisi exēpla huius progymnasmatum, eaq. clarissima. est autem descriptio, quā diatyposim appellat Capella, oratio qua minutatim rē subiectā sic exponimus, vt sub oculos, quantū fieri possit, subijciamus. describūtur autē personae, animalia, stirpes, loca, tēpora, atq. res aliae. In describendis animalibus, & stirpib. a summa parte ad imā, aut cōtra progrediēdū est. in describendis locis, aut tēporib. explicāda sunt, quae in illis fiūt, aut cōtinētur. In ceteris reb. cōmemorādasūt, quae illas antecedūt, quae cū illis cōiūcta cohaerēt, & quae eas cōsequūtur: vt bellū an-

In progym.

bellū antecedūt dilectus militū, sumptus, timor, coharent cū bello congressus, caedes, mortes, victoria: sequuntur laudes vincētium, triumphus, lachrymae eorum, qui victi, & seruitus. conuiuium luxuriosum sic describitur a M. Tullio in fragmento orationis pro Gallio: *vt clamor, vt conuiuium mulierum, vt symphoniae cantus? videbar mihi videre alios intrantes, alios exeuntes, partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. versabatur inter hos Gallius, unguentis oblitus, coronis redimitus. humus erat lutulenta vino, coronis laeuidulis, & spinis cooperta piscium* Scriptor Rhetoricorum ad Herennium cōplexus est hoc progymnasma varijs figuris effictionis, notationis, & demonstrationis.

De vsu descriptionis.

Descriptiones adhibemus frequenter in omni genere causarum, & in omnibus partibus orationis; frequentius tamen in naratione. exemplum huius rei illustre supra propositum est, cum de vsu comparationis disputabamus ex Miloniana: cum M. Tullius describit comitatum Milonis & Clodij. in confirmatione etiā recte adhibetur descriptio: vt septima in Verrem, *ipse inflammatus scelere,*

In pro-
gym.

scelere, ac furore, in forum venit: ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emanabat & cetera. in epilogis item descriptionis utilitas apparet. nam tertia illa pars loci communis, quam expositionem amplificatam nominauimus, nulla re aptius fiet, quam descriptione criminis, & scelerum: deinde misericordia iudicum amouetur, vt docet Hermogenes facta descriptione iniuriae, quod illustrat idem hoc exemplo: *non istum mihi attendatis, qui lacrymat ante vestrum conspectum, sed illum contemnentem numina, aduentem fana, euellentem fores, auferentem donaria sacrorum.* ita M. Tullius in peroratione orationis pro rege Deiotaro describit Hierac legati assiduitatem, qui in Tetrarchia nunquam a Caesare discesserat: cum ait, *in primis finibus tibi se praesto fuisse dicit, usque ad ultimos profectum: cum e balneis exisses, tecum se fuisse, cum illa munera inspexisses coenatus, cum in cubiculo recubisses & cetera.* in exordijs quoque utilis est descriptio: vt in eadem pro Deiotaro describit Cicero, quid facturum fuerit, si in foro eam orationem habuisset, cum inquit: *spectarem curiam, intuerer forum, caelum denique testarer ipsum & quae sequuntur.*

De thesi.

Ex



X reliquis progymnasmatibus de thesi prius differendum: quia est facilius legatione. nam legatione, vt ait Quintilianus, maiores, ac prope summis operibus suffecturas vires desiderat. est autem thesis deliberatio de re aliqua citra certam circumstantiam: vt, *sit ne ducenda vxor.* nam si circumstantia addatur, fiet hypothesis, id est, certum genus causae vt *sit ne ducenda vxor Socrati.* haec enim causa ad deliberationem pertinet. has hypotheses M. Tullius causas, posteri controuersas vocarunt, vt scribit Seneca pater in declamationibus. thesis differt a communi loco, quod in illo amplificamus rem certam, in hac dubiam disceptamus. a sententia autem differre videtur, quod sententia dictum potius sit, quam deliberatio, & disceptatio: deinde quod in thesi semper aliqua rei qualitas intelligatur, vt *ducenda ne est vxor*, id est, aequum ne, an utile, aut aliud huiusmodi sit ducere vxorem: at in sententia non semper qualitas rei intelligitur, vt apparet in hac, *nemo sine crimine vivit.* theses quibus est proposita sola cognitio veritatis, non pertinent ad oratoris munus, vt illae paradoxorum M. Tullij, *sit ne solum id quod honestum, bonum,* quapropter audacius se fecisse fatetur, qui eas more oratorio disputauerit. sunt autem illae disputationes Tullianae

Lib. 2.
Hermo.

Ex Theo-
ne.

magis

magis loci communes, de quibus supra dis-
feruimus, quam theses: quanquam Cicero
nomine loci communis solet cōplecti vtrū-
que progymnasma. multo minus ad orato-
res pertinebunt illae physicae, *sit ne caelum fi-
gura globosa praeditum*, neque illae in thesi-
bus numerandae videntur, quas Quinctilia-
nus ad theses retulit, *sit ne vita rustica potior,
an urbana, sit ne militis, an iurisperiti laus ma-
ior*. nam illae cōparationes potius sunt,
aut certe cōparationes theticae. illae erūt
potius theses oratoriae, in quibus discepta-
bitur aliqua actio, quae ad rempublicā per-
tineat, vt, *sit ne nauigandum*. quales sunt,
illae, quae proponuntur a M. Tullio libro
nono ad Atticū. neque vero reijciunt rhe-
tores ab hoc studio illas theses, de quibus,
qui disputant, digni poena a dialecticis cen-
sentur: vt, *sit ne virtus colenda*.

Lib. 2.

Epist. 3.
Inter. A
phth.

De partibus thesis.

Aphth.

Ex Theo-
ne.

Thesis quattuor fere continet
partes: propositionem, argumē-
ta, oppositiones cum solutioni-
bus, & epilogum. exordium,
seu propositio duci potest ex naratiuncula
aliqua historica, aut ex chria, aut sententia,
aut, quod omnium est aptissimum, ex laude,
aut

aut vituperatione rei, de qua thesis disputat.
proponamus exēplū huius thesis, *sit ne mos ge-
rendus magistris*. sic ergo exordiemur: *qui Exordium
imperio magistrorum parent, iure laudandi sunt. Inter. A
Argumenta petuntur ex capitibus quae per phth.
tinent ad finem, aut ex locis laudationis.
sed in primis ex actionib. & honorib. quid Legiti-
enim & legibus diuinis, & humanis, atque mun-
moribus, & institutis omnium gentium, & sae-
culorum, magis consentaneum, quam praeceptis,
& voluntati magistrorum obtemperare? quid autē
magis aequum, quam, a quibus tot, tantaq. bene- Aequum
ficia ad vitam bene trasmitnendam accepimus,
illis sin minus alijs rebus, grata certe animi signi-
ficatione morem gerere? quid magis fructuosum,
aut magis salutare, quam eorum animos, per Vtile.
quos in animi praesertim cultu profeceris, tibi
adiungere, & conciliare? quid magis exitiale,
perniciosumq. quam ab iisdem esse animo, &
voluntate abalienata? quo genere laudis, qua
etiam praedicatione eos celebramus, qui docto- Glorio-
rum consilijs obsequuntur? quae turpitude, quae sum.
infamia eos contra prosequitur, qui ab eorum
voluntate discedunt? oppositiones petuntur
ex locis contrarijs eorum capitum, quae per-
tinent ad finem. quae soluuntur, aut per
concessionem, aut per negationem, aut per Oppo. i.
contrarium: vt, *at difficile est magistrorum
imperijs plane obsequi. difficile quidem, vitium
tamen**

Cōcessio. tamen aetatis est potius, quam ingenij. nam cum doctores natu grandiores, ac prope senes contingat aetas ingravescens illos quotidie difficiles reddit, & morosos. cui vitio magna sit accessio, cum totum illud tēpus aetatis satis per se gravis discipulis monēdis, corrigendis, erudiendis transmittant. neq. vero, etiam si difficile sit, continuo est abijciēdū. ministri, cum difficillimū esse arbitrentur aegrotis morem gerere, eorum tamen voluntati plerunq. obtemperant: puerorum ingenia, cum difficillime regantur, nutrices ad eorum voluntatem, sermonem, & sensus suos saepe commutant, & discipuli postea magistrorum imperio, quamuis difficillimum videatur, non libenter obsecundabunt? *Contra-* quin omnium longe facillimum est. Nam si eos, *rium.* quos nunquam antea vidimus, officijs facile placamus, quanto facilius erit, eos qui nos artissimis vinculis necessitudinis attingunt, omni genere obsequiorū nobis adiūgere, & mitigare? *Opposi.* At molestū *Negatio* est imperium magistri. amanti nihil molestum: onus etiam grauius Aetna amore facile subleuatur. atqui discipuli nihil carius doctores habent aut certe habere debent. & quamuis magistrorū imperia molesta sint, aequa tamen animi conditione ferenda sunt. serui imperia dominorū, quae multo sunt acerbiora, patienter ferunt, liberi parētum imperia, quae multo sunt potentiora, moderate perpetiuntur, & discipuli magistrorum praecepta, a quibus multa, eaq. utilissima quotidie expectantur.

pectantur, aequo animo non sustinebunt? sunt ista *Oppos. 3* quidem, ut dicis, imperia tamen magistrorū sunt longe ceteris morosiora. Quid? a dominis ad summum libertas expectatur, a parentibus victus, aut vestitus, a praeceptoribus vero eruditio: qua nihil maius cum ad priuatam, tum ad publicam bene viuendi rationē. epilogus breui amplificat thesim, & repetit capita aliquot argumentorum cū breuissima cohortatione: ut, *Epilogus.* magnum igitur, & praeclarum est doctorum praeceptis obtemperare: praesertim cum ex eorum obsequantia magna dignitas, atq. utilitas consequatur. quapropter magistrorum voluntati libenter morem geramus.

De usu thesis.



Vtilissima est thesis oratori, eū omnē hypothēsim, id est, causam oratoriā arbitretur M. Tullius ad thesim reuocandam esse: quod ex thesi tāquā ex generali quadā sentētia hypothēsis, ut specialis proficiatur. hinc Cicero omnes fere suarū orationū cōfirmationes ad theses refert: ut illā Licinianā ad hāc thesim poeticā, & studia litterarū, quibus ad humanitatē informamur, sūmo in honore haberi oportet. etsi M. Tullius nō solas deliberatiuas videtur theses vocare. post cōfirmationē *maxi-*

maximus locus thesi in epilogis. id quod plane intelligitur ex his capitibus, quae pertinent ad finem, quibus & locum communem concludi supra docuimus, & omnes orationes iisdem fere terminantur. illa autem capita maxime sunt thetica. hinc illae theses frequentissimae in perorationibus *adhibendam esse misericordiam, remittendam animadversionem, crudelitatem auertendam, ignoscendum viris bonis, & fortibus*: quarum thesium exemplis refertae sunt Tullianae perorationes, reliquis partibus, si quam affert utilitatem, tenuis illa quidem est, quaeque vix exemplis veterum scriptorum potest illustrari. Sed haec de thesi.

De legislatione.



Lib. 2. **S**uperest sola legislatio ex progymnasmatibus: quae nihil aliud videtur esse quam laus, aut vituperatio, ut loquitur Quintilianus, legis alicuius, aut scripti citra complexum circumstantiarum certarum. Graeci suo more accusationem, aut defensionem esse volunt, Romani sui fori instituto suasionem, aut dissuasionem potius dicerent. sed cui usus ista varietas fori illud potius obseruandum, qui differat a thesi legislatio. nam quae vulgo

vulgo affertur dissimilitudo, non est verisimilis: in thesi scilicet nullam personam exprimi, in legislatione vero aliquam, etsi non certam, neque definitam. nam in hac thesi, *sit ne philosopho ducenda vxor*, dubitari non potest, quin persona philosophi adhibeatur, ut adulteri in illa legislatione, *accusandum legem quae deprehensum in adulterio occidi iubet*. certior haec dissimilitudo fortasse, ut thesis ex scripto non pendeat, legislatio scripto nitatur, ut cum statuum genera quaedam scripto, aut non scripto a rhetoribus distinguuntur. sub scripto autem, ut in capite legitimi complectimur etiam institutum quoduis, aut mores.

Aphtho

De partibus legislationis.

Quanquam partes huius progymnasmatibus variis traduntur a scriptoribus, ea tamen ratio commodior videtur, quae ex praeceptis, atque exemplo Aphthonij colligi potest: quattuor nimirum esse huius progymnasmatibus partes, exordium, contrarium, oppositiones cum solutionibus, atque epilogum. Exordium paulo prolixius quam in thesi adhibendum est, contrarium ut in communi loco, oppositiones, & solutiones, ut in thesi tractandae. epilogi ratio ex capitibus,

E bus,

bus, quae pertinent ad finem sumenda est: ut in hoc exemplo perspicuum fiet. *Cum* multa praepostere, & contra scholarum dignitatem, in eis sancita videntur, tum nihil indignius quam quod superioribus annis cantum fuit, ne vllus doct̄r auditorib. suis aliquid dictaret. alia namque edicta vni forte academiae, aut alteri, aut vni generi artium pernicioſa fuerint, hoc autem vnum, & omnibus scholis, & vniuerso artiũ generi est perniciosissimum. Cogitate vobiscum, si hoc genus ornamentum a republica abesset, quam multa in eam detrimenta in singulos dies importarentur. Testamenta nisi subscripta, & signata testibus essent, pro imperſectis haberentur: edicta praetorum, nisi hoc ornamento essent stabilita parum, aut nihil haberent firmitatis: decreta senatus, si hoc presidio carerent, ecquos existimatis eis obtemperaturos? Quare quo genere ornamentum statutum reipublicae contineri videtis, eo priuari scholas, id est, lumina rerum publicarũ ne patiamini. At enim istis dictatis auditores redduntur negligentiores. ut fiant quidem negligentiores, culpam certe nullam, qui dictant, omnem vero auditores sustinebunt. Exterminetur isto pacto eloquentia, quod pleriq. clarissimi oratores, suo, nõ artis vitio reipublica dominatione oppresserint relegetur in ultimas gentes philosophia, quod philosophi nobilissimi partim suorum civium mores corruerint, partim reipub. labefecerint. Immo

Exordiũ multa praepostere, & contra scholarum dignitatem, in eis sancita videntur, tum nihil indignius quam quod superioribus annis cantum fuit, ne vllus doct̄r auditorib. suis aliquid dictaret. alia namque edicta vni forte academiae, aut alteri, aut vni generi artium pernicioſa fuerint, hoc autem vnum, & omnibus scholis, & vniuerso artiũ generi est perniciosissimum. Cogitate vobiscum, si hoc genus ornamentum a republica abesset, quam multa in eam detrimenta in singulos dies importarentur. Testamenta nisi subscripta, & signata testibus essent, pro imperſectis haberentur: edicta praetorum, nisi hoc ornamento essent stabilita parum, aut nihil haberent firmitatis: decreta senatus, si hoc presidio carerent, ecquos existimatis eis obtemperaturos? Quare quo genere ornamentum statutum reipublicae contineri videtis, eo priuari scholas, id est, lumina rerum publicarũ ne patiamini. At enim istis dictatis auditores redduntur negligentiores. ut fiant quidem negligentiores, culpam certe nullam, qui dictant, omnem vero auditores sustinebunt. Exterminetur isto pacto eloquentia, quod pleriq. clarissimi oratores, suo, nõ artis vitio reipublica dominatione oppresserint relegetur in ultimas gentes philosophia, quod philosophi nobilissimi partim suorum civium mores corruerint, partim reipub. labefecerint. Immo

Contra-rium.

Oppo. 1. Cõcessio.

si dili-

si diligenter attendere velimus, hoc beneficio sũt Contra-
auditores diligentiores. Nam cum aliquid certũ, rium.
atq. exploratum accipiant, doct̄oris interpretatio-
nem cum sententia eius auctoris, quem ad expla-
nandum sibi proposuit, diligenter comparant: quid
addiderit, quid detraxerit ex interpretibus, quo
iudicio vtrunque fecerit, accurate observant,
atque idem in simili argumento ipsi experiun-
tur. At istis excubendis multum operae illis eri-
pitur. eripitur quidem: sed plus eriperetur, nisi
aliquid a doct̄oribus auditores acciperent. Nam
cum domum redeũt, si quid in commentarios me-
moriae causa referendum sit, incerti quid sequan-
tur, animo pendent, & vehementer haesitant. At
doct̄ores hac speeie honestatis sibi, & otio suo indul-
gent. Indulgere tu istud appellas, suam sententiã
ita litteris consignare, ut omnium iudicio, & re-
prehensionem pateat? O miseram magistrorum con-
ditionem. Quare permagni interest dictata au-
ditoribus proponere, cum in consuetudine, & mo-
re omniũ gentiũ, & saeculorum hoc positum esse
videamus: tum quia mercedi, quae soluitur ab
auditoribus, atq. eorum propensae in magistros
voluntati hoc officium debetur. accedit etiã, quod
isto beneficio dictata facilius memoriae manda-
ri, & infixa haerere possunt.

Oppo. 2. Cõcessio.

Oppo. 3. Negatio

Epilogus

De legislationis usu.

Legislationis vsus in omni quidem parte orationis esse potest, sed in confirmatione frequentior: vt in secunda agraria commendat M. Tullius in commune leges agrarias, cum inquit. *nam vere inquit, dicam, Qui rites, genus ipsum legis agrariae vituperare non possim. venit enim mihi in mentem & quae sequuntur. potest & aliud exēplum apertius quaeri. exordijs vtilem esse docebit oratio Ciceronis pro domo sua. nam cum laudat initio illius institutum maiorum suorum, qui pōtiffices & religioni, & summae rerum praesse voluerunt, nihil aliud facit, quam vt hoc progymnasma suis maioribus accommodet. quod si persona Romanorum tollatur, erit plane hoc progymnasma. institutū enim, & consuetudo a scriptoribus huius artis ad legitimum referuntur. quid autem frequentius vulgo auditur, quam in exordijs laus alicuius instituti, aut consuetudinis? nam quod epilogis afferat adiumentum quis poterit negare, cum legitimum vnum sit ex capitibus, quae proprie pertinent ad epilogos? quo loco potest cōmode lex, aut consuetudo aliqua communiter laudari ita M. Tullius in peroratione Coeliana legem de vi laudat his verbis: *iam intelligitis, quātū iudiciū sustineatis, quanta res sit commissā vobis.**

de vi

Hermo.
de negoti-
ali.

de vi quaeritis: quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet &c. haec laus cum ad legem Q. Catuli pertineat, potest tamen in vniuersum legibus de vi accommodari, vt sit omnino hoc progymnasma. in naratione etiam locus legislationi concedetur, vt si quis abstinentiā alicuius ita naret: *in conuiujs epulas aliunde conquisitas vitabat, non multum cibum adhibebat: ne leges sumptuarias violaret, quae sunt omnium maxime laudādae.* non deerit copia exemplorum huius progymnasmatismatis ei, qui euoluerit accurate orationes Ciceronis, & in primis eas, in quibus de aliqua lege disputatur, vt agrarias, pro Plācio, aut de aliquo edicto, vt Quinctianam, pro Caecina. libri etiam de legibus M. Tullij aliquod asserent praesidium. atque haec de legislatione.

De progymnasmatismatis in commune.

Hactenus explicatum est, qua ratione singula progymnasmata separatim fieri possent, singulorū propositis seorsum exēplis: propterquam causam, quanuis Hermogenes in reliqua arte vehemēter a Graecis probetur,

E 3

in pro

2. De or.
to.

gymnasmatibus tamen cessit Aphthonio. hic enim singula progymnasmata seorsum suis exemplis illustravit. quod Hermogenes praetermiserat. Demonstratum praeterea est, unde copia exemplorum in singulis generibus suppetere possit. quae ratio docendi in tota quidem arte longe est utilissima, in hac vero parte maxime videtur necessaria: quod tyrones in ea erudiantur. neque vero in ulla parte artis expectandum est, ut omnia praeccepta, quae afferri possunt, proferantur, multo vero minus in hac, quae tyronibus est tota accommodanda. quae ratio fecit, ut Aphthonius Theoni huius argumenti scriptori copiosissimo longe anteferretur. neque etiam postulandum est, ut his angustijs exempla clarissimorum oratorum circumscribantur. perfectiores illi scriptores, is quem hoc loco instituimus, rudis adhuc, & integer: vagatur paulo liberius M. Tullius in Paradoxis, & epilogis orationum, quam haec rudis, & imperfecta locorum communium institutio patiatur, licebit tamen & tyroni, quod est fructuosissimum, cum rationem conficiendi singula progymnasmata probe nouerit, alia alijs intexere: ut hac ratione longius dilatari possint. quod & in exemplis singulorum progymnasmatum non semel a scriptoribus huius artis factitatum videmus

demus: ut in exemplo refutatiunculae, quod Theoni ascribitur, & nos supra Latine reddimus, interponuntur oppositiones & solutiones, quod est thesium maxime proprium & in exemplo loci communis Aphthonius inculcat ethopoeiam, de qua nondum disseruerat. possumus autem nos longius excurrere, cum separatim ista exercemus: ut in fabula, & naratiuncula possunt descriptiones inferi, atque ethopoeiae. sic in chria, & sententia laudes eorum, quorum exempla, aut testimonia proferemus: in laude, & vituperatione multae naratiunculae, & descriptiones, atque ethopoeiae, ac vno verbo, in singulis adhiberi possunt ea, quae videbuntur conuenire. nunc restat, ut breui doceamus, quomodo adhibeantur progymnasmata in orationibus. Adhibentur igitur detractis exordijs, aut illis ingressionibus, quae exordijs respondent, & detractis epilogis: nisi sint epilogi, qui pertineant ad intimam naturam progymnasmatibus, ut epilogi loci communis, & legislationis. Ex ceteris autem partibus non necesse est omnes retinere, neque eo plane ordine, quo in praecceptis tradebantur, immo aliquando nulla ferre earum in orationibus, nisi nudum progymnasma adhibetur, sed illae potissimum conseruandae, quibus summa vis, & natura


cuiusq. progymnasmatitis nititur, vt ex communi loco, cum illud vnū in eo spectetur, vt praemium, aut supplicium possit a iudicibus impetrari, retinendae potius erunt partes duae illius posteriores, quae ad id obtinendum directo spectant, quam ceterae, quibus crimē, aut meritum amplificatur. Itaq. vix, ac ne vix quidem epilogos, in quibus loci communes excellūt, reperies apud M. Tullium, aut alium oratorem probatum sine duabus partibus posterioribus, sine ceteris autem multos. eodem modo, cum in chria propositū sit dictum, aut factū, quod commemoratum est approbare, facti quidē expositio, aut dicti nullo modo poterit praetermitti, neq. eius approbatio videtur posse praeteriri, ceterae autem partes non magnopere desiderandae. ita M. Tullius in Liciniana, vt confirmaret litterarum monumentis homines maxime excitari ad pericula gloriae causa subeunda, retulit exempli loco chriam quandam Alexandri regis his verbis: *quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? atq. istamen, cum in Sigaeo ad Achillis tumulum astitisset, o fortunate, inquit, adolescens, qui tuae virtutis Homerum praecognem inueneris: & vere. nam nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexe-*

rat,

rat, nomen etiam obruisset. in hac igitur chria praeter dictum Alexandri, quod retulit Cicero, tantum addita est approbatio cum simplici ratione. sed de progymnasmatitis satis multa. nam si quae aliae exercitationes afferuntur initio huius artis a Cicerone, & Quintiliano, aut non sunt huius artificij, *i. de Ora* aut, si quid eius habent, potest facile ad superiora reuocari: vt interpretatio loci alicuius, qualis illa in Bruto, cum laudaturus eloquentiam Cethegi, interpretatur locū quēdam ex nono annali Ennij, multum habet ex progymnasmate chriae: sed nunc ad alterā partem huius artis progrediamur.

PET. IOHAN.
NUNNESII VALEN-
TINI INSTITVTIO-
num Rhetoricarum
Lib. II.

De statibus, siue constitu-
tionib.



Xpositis progymnasmatibus, in quibus tradebatur species tantum quaedam adumbrata orationis, explicanda est ratio, qua possit perfecta oratio componi. Sed quoniam partes orationis exordium scilicet, narratio, confirmatio, & peroratio non possunt vlli orationi apposite ac commodari, nisi antea cognitum plane sit, quibus firmamentis quaeque oratio nitatur, tradenda est primum ars inueniendi, & communiter collocandi praecipua capita, quibus perfectae orationes continentur. Cuiusmodi tria tantum genera causarum sunt, quod ad demonstratiui capita praecipua, atque eorum ordinem communem, & naturalem pertinet, satis videtur in progymnasmatibus explicatum.

nam

nam quod M. Tullius obseruat de ordine exornationis: vt aut temporum gradus seruentur, aut generum distributiones, aut a minoribus ad maiora ascendamus, aut a maioribus ad minora delabamur, aut ea inaequabili varietate distinguamus, id omne ad methodum prudentiae referendum videtur. de reliquis igitur tantum duobus generibus hoc loco disputandum est, dum sit in illis aliqua controuersia, quae status, aut constitutio appellatur, in eaque tota causa vertitur, & stat. quapropter admonitiones illae Isocratis ad Nicoclem, & Demonicum non videntur ad hunc locum pertinere, cum ab illis longe absit hoc genus controuersiae: quanuis non negauerim posse illas admonitiones capitibus constitutionis negotialis, id est, iis, quae pertinent ad finem, confirmari. neque vero omnis controuersia in illis duobus generibus ab oratore suscipi potest, aut debet, sed ea tantum, in qua de facto, aut de personis, aut de utroque disceptetur, & vtrinque rationes probabiles, & inter se diuersae suppetant, quaeque possint aliquem exitum inuenire, ita vt quaestio non sit inexplicabilis, neque sint iudices ita ab aduersarijs persuasi, vt nulla ratione de sententia deduci posse videantur. His ita expositis, doceamus methodum, qua vlti-

In Parti

Hermo.

mac

Cic. I.
de inu. c.

mae statuū formae colligi possint. in quaestione igitur, si disputetur de re sit ne, an facta sit, an futura, aut de animo, & voluntate auctoris, qua mente fuerit, aut fecerit, sit, aut faciat, futurus, aut facturus sit, aut si quid aliud huiusmodi, coniecturalis constitutio nominatur: vt in ea pro Sex. Roscio, *an is patrem suum occiderit*. quod si de re ipsa, & voluntate auctoris conueniat, disputetur autem conueniat ne illi alicuius criminis nomen, an aliquid adhuc desit, vt illud plane conueniat, status definitiuus appellatur: vt in ea pro Caecina, cum disputatur, *an dicendum sit factam esse, qui tantum perterritus armis fuerit, ne summum suum ingrederetur, an necesse sit praeterea illud addere, & de fundo deiectum fuisse*. si res, & nomē certa sint, venit in controuersiam rei, aut facti qualitas, vt iure ne, an iniuria factum fuerit: qui status in commune generalis vocatur. is si nitatur scripto, aut edicto, aut morib. legitimus dicitur, quod lex omni generi scriptorum, & morum longe antecel lat: sin autem his praecipue non nitatur, rationalis a scriptoribus huius artis nominatur. nō quod superiores status rationib. non nitatur, sed quod ex duob. generibus, quae circa qualitatem versatur, hoc vnum omnem vim firmamenti in ratione, non in scriptis

scriptis collocet, quauis & scripta in hoc incidere possunt ac rationalis quidem, si de re futura sit, negotialis nominatur: sub quo omnes deliberationes, & petitiones continentur: vt illa pro lege Manilia Ciceronis, *praesciendus ne sit Pompeius imperator bello Mithridatico*. sin autem de re praeterita sit, iudicialis appellatur. in quo, si reus se tueatur nulla lege, neq. moribus vetitū esse, id cuius postulatur, status absolutus dicitur: vt *condemnato Milone Cicero exclamauit bonis ciuibus sedem esse non posse, reus est laesae reipublicae*. si quaeratur quod vetitum est, & reus se defendat iure id fecisse, aut certe non iniuriā, assumptiuus nominatur. huius status quattuor sunt species. nam si reus respondeat se melioris causa fecisse, compensatio apposite dicitur auctore Fortunatiano: M. Tullius comparationem appellat. quae prima species est assumptiui: vt in Miloniana, *occidi Clodium*, inquit Milo, *sed iure occidi, ut reipublicae saluti conisulerem*. si culpa criminis conferatur in eum, propter quem reus arguitur, sit secunda species assumptiui, quae relatio criminis appellatur: vt in eadem, *occidi iure Clodium, quia mihi insidias parabat*. quod si culpa transferatur in aliam personam, aut in rem, quae possit emendari, vt in legem, tertia existet species, quae dicitur remotio cri-

Lib. I.

crimini: vt legatus intra id tempus non nauigauit, reus est male gestae legationis, hic remouet a se crimen legatus, & culpam in quaeflorem confert. si reus dicat aliter fieri non potuisse aut propter aliquam animi perturbationem, aut ob ignorantiam, aut ebrietatem, aut aetatem, aut aliam causam, aut veniam petat reus, & promittat se mores emendaturum, tunc fit concessio, quae est ultima forma allumptiui: vt in Ligariana, dignus veni. Ligarius, inquit, sum quamuis aduersus Caesarem in Africa fui quia non poteram inde discedere. legitimi status quattuor sunt formae: prima ex scripto, & sententia: vt, lex iubet peregrinum si muros urbis ascenderit, condemnari. quidam peregrinus, cum muros ascendisset, liberassetq. urbem ab hostium obsidione, uacatur in ius, quod eam legem violasset, hic reus se tuebitur lententia legis, actor scripto reu urgebit. secunda appellatur contrariarum legum, cum duae leges, aut duo scripta pugnant inter se, aut certe duae partes eiusdem scripti: prioris exemplum, qui solus e naufragio in nauis superstes fuerit, eius dominus esto, altera lex quem pater abdicauit, ne sit eius bonorum heres. quidam abdicatus nauim forte conscendit, quam ignorabat paternam esse, naufragio facto omnes illam deserunt, solus in ea relinquitur, existit quaestio sitne eius dominus. posterioris

ris exemplum: vitata uitiatoris aut mortem petat, aut nuptias indoratas. quidam uitiarat duas eadem nocte, una maritum petit, altera supplicio supremo affici eum uult, quaeritur utrum faciendam. tertia ratiocinatio, cum ex eo, de quo scriptum extat, colligimus id, de quo nullum extat: vt, lex est, qui patrem necarit in culem uivus insuatur, & in flumen deiciatur, necat quidam matrem, quaestio existit, num ea lege reus sit. quarta ambiguitas, cum scriptum idem in varios sensus trahi potest: vt, meretrix, si induta fuerit vestem purpuream, publica esto, incertum est publicanda ne sit uetis, an meretrix: quia utrunq. uidetur ex eo scripto colligi posse. quod si actio omnino excludatur, alius status fit, quem praescriptionem cum Fortunatiano uocabimus, vt & Plutarchus docet illum a Rhetoribus appellari. Jurisconsulti eam uocant exceptionem rei iudicatae. vt, lex uetat bis iudicium de eadem re fieri, quidam, cum caedis esset postulatus absolutus est, longo post interuallo, cum auctorem eius caedis fuisse intelligitur, existit quaestio in iudicium ne de ea re iterum uocari possit. quod si actio non excludatur omnino, sed ex aliqua circumstantia, translatio appellatur, vt differat a praescriptione: vt, lex permittit, ut adulterum cum adultera

Lib. 7.

ter a deprehensum liceat occidere quidam, cum uxorem cum adultero deprehensisset, interfecit adulterum, post aliquot dies cum adulteram in monumento ab altero reperisset, eam occidit, postulatur eius carnis. reus negat se cum iure de ea re agi posse, quia fecit quod lege permissum erat, actor transfert illud ad tempus, & locum, permissum quidem illud lege si quo tempore simul eos deprehenderat, simul etiam eos occidisset, & alio tempore non potuisse. Hos duos status posteriores Hermogenes appellat communi nomine metalepsim, ut & Sulpicius Victor secutus sententiam Marcomani nescio cuius, quanuis repugnante apud eundem Zenone. ex his perspicuum sit tredecim esse species statuum, ut placuit Hermogeni, aut, quod ad docendum aptius est, quattuordecim. qui, ut facilius percipi possint, alio ordine explicari debent, quam quo ab Hermogene docentur. erit aurem hic ordo. coniecturalis, definitiuus, ratiocinatio, absolutus, translatio assumptiuus cum quattuor suis formis, ex scripto, & sententia, contrariae leges, ambiguitas, negotialis, & praescriptio. quaeruntur igitur in hac statuum disputatione potissimum capita cuiusq. status. vocantur autem proprie capita ea, quae continent propriam argumentationem, & confirmationem eius-

Sopater.

eiusdem propositionis diuersam ab alijs: ut testimonia in coniecturali aliam probationem afferunt, quam signa. sic enim dicimus, cum testibus conuicerim, coarguam etiam signis. quare propositio in nullo statu erit proprie caput, cum ipsa nihil confirmet, sed potius omnibus capitibus confirmetur. quanuis Hermogenes eam in capitibus omnium statuum numerauit praeter quam in coniecturali, & negotiali. neq. epilogi videntur proprie capita esse, quia locus communis, qui magna ex parte epilogum constituit, non confirmat, quod positum est in quaestione, sed crimen amplificat, & iudicum animos conturbat, reliqua vero pars epilogi aut affectus tantum commouet, aut in memoriam reuocat capita praecipua confirmationis, quorum neutrum comprobatur id, quod propositum erat in quaestione: Hermogenes tamen in capitum numero collocat etiam epilogos, fortasse quia parum admodum habent, quod posset separatim doceri in inuentione. nam ad inuentionem exordiorum, narrationum, & confirmationum multo plura afferuntur ab Hermogene in disputatione de earum partium inuentione, quam quae fuerant antea in progymnasmatibus explicata. quapropter & hac ratione commode videntur singuli status

F. diuidi

diuidi posse, ut in eorum explicatione, singularum capitibus etiam coniecturalis, & negotialis propositio tanquam capitū fundamentum praeponatur, atq. epilogus tanquam eorundem summa postponatur. & quoniam ex capitibus alia sunt omnium statuum communia, ut translatio, siue praescriptio ex circumstantijs, alia non sunt omnium communia, quae communia sunt ceteris anteponuntur. Ex reliquis vero, quia quaedam sunt magis propria cuiusq. status quibus videtur maxime propositio confirmari, aut refelli, ea propria cuiusq. status a nobis appellabuntur: cetera vero, quia magna ex parte videntur causam ad alium statum deriuare, idq. maxime fit opponendo, aut soluendo aliquid, videntur commode posse nominari oppositiones, & solutiones, ut in thesi, & in progymnasinate legislationis: quanuis proprijs etiam capitibus possunt fieri aliquando oppositiones, & solutiones. ita videtur opus difficile, & impeditum posse facile, & perspicue expediri salua mente Hermogenis: nisi quisquam morosior & *λεπτολογος* exquisitam in his requirat, quam vel ipsi philosophi, quorum omne studium ad veritatis cognitionem spectat, multis in locis sapientissime repudiant. Diuidetur igitur quisq. status a nobis in quinque partes, ut

pri-

prima sit propositio, secunda praescriptio ex circumstantijs, quam sic appellamus, ne confundamus eam cum translatione: praesertim cum Hermogenes aperte utrunq. capitū distinxerit, quo loco capita propria translationis persequitur. tertia pars complectetur capita maxime propria cuiusq. status. ad quartam referentur oppositiones, ut diximus, & solutiones. vltima erit epilogus: ita in quoq. statu instituetur species quaedam brevis duarum contrariarum orationum instar progymnasmatum. Nunc igitur coniecturalem aggrediamur, qui naturā prius venire solet, quam ceteri status in contentione.

*Libro de
statu,*

De statu coniecturali.

IN coniecturali igitur propositio est accusatoris: ut aio a te magistratum notatum fuisse epigrammate contumelioso. praescriptio secundo loco affertur a reo: ut, hoc a me repetere debebas superiore anno, nunc non potes. Praescriptio autem non est ita proponenda, ut actionem plane excludat. nam isto pacto pertineret ad statum praescriptionis, sed ita ut excludat actionem tantum ex circumstantia, ut in superiori exemplo apparuit. hoc caput in omni statu locum habere

F 2

potest,

Sopater.

potest, sed cum proponitur, non est diu in eo commorandum: quia detrahit aliquid de dignitate oratoris. cum autem post defensionem adhibetur ex abundantia, licet in eo diutius commorari, huic capiti respōdebit aduersarius, reum suspectum esse eius criminis, aut certe suae causae diffidere. loci proprii coniecturalium quattuor sunt: testimonia, voluntas, potestas, & signa. si testimonia desint, requirenda sunt signa per thesim, vt doceas signis credēdū testib. non esse fidem habendam, aut per comparationem docēdum quae desint, meliora esse. quod si testes suppetant, qui ex usu nobis fuerint, laude ornari possunt, qui nostrae causae aduersantur, vituperatione exagitan- di. si vtriq. suppetant & signa, & testimonia, comparationes adhibendae. Ad testimonia refellenda, haec duo sunt firmissima: vnū, si doceas falsum esse testimonium, ac praefertim quod pugnancia dixerit: quod fieri potest progymnasmate refutatiunculae, vt in Vatiniana, alterum iniquū esse, vt quod gratia, aut pecunia corruptus, aut propter inimicitias testimonium dixerit: in quo plurimū valebit eius hominis vituperatio. voluntas, & potestas communes sunt vtriusq. aduersarij, & locis laudationis in commune explicantur, sed in voluntate plus valent

valent causae, propter quas voluisse reus docetur, in potestate vero locus, tempus, atque bona externa, vt opes, & amici quod si potestatem proferre non possis, sublata voluntate, ostendes eam, & si suppetat, constare nō posse. Signa spectantur in factis, aut dictis, aut si quid horum praetermissum fuerit: nam affectus ad haec referri possunt. Signa autem factorum, aut dictorum proprie dici certum est. nam, quae ex personis sumuntur, verisimilia potius vocanda sunt, vt *adolescentes proclines esse ad libidinem*. Ex his locis proprijs voluntas si causam honestam proferat, dilatarī potest thesi si autem turpem, communi loco. potestas descriptione, & ethopoeis potest illustrari. signa amplificari possunt naratiuncula, descriptione, ethopoeia, chria, confirmatiuncula, aut refutatiuncula, & communi loco. oppositiones in hoc statu fiunt ab accusatore ex signis: vt, *tu deprehensus es cum hominem sepelires solus in deserto*. quod genus oppositionis, si signum non sit prohibitū, diluitur a reo per absolutionem: vt, *licebat mihi hominem sepelire*. absolutio autem ab accusatore deinceps refellitur translatione, sic enim appello cum Hermogene hoc caput: quia habet multa communia cum statu translationis. nisi malis deriuationem

apellare cum Sulpicio Viciore vitandae ambiguitatis causa. Translatio igitur haec, cum caput est in statibus, sit dupliciter, aut per negationem, si neges illud licuisse, aut per concessionem, si fatearis licuisse quidem, sed cum aliqua circumstantia: quod genus translationis per antiparastasin vocatur ab Hermogene. ut, *non licebat tibi, cum solus esses in deserto homine sepelire, aut si licebat, oportebat prius illud cum populo communicare.* semper autem haec duo capita absolutionis scilicet, atque translationis inter se pugnant, & in quocumque statum vnum inciderit, alterum fere consequetur. potest etiam reus diluere signa, quae illi obijciuntur, causae alicuius honestae assumptione, quae & color nominatur, & verisimili defensione. assumptio fit statibus assumptivis, ex quibus etiam refelli potest. multae autem excusationes, eaeque diuersae ex his peti possunt: ut in Rosciana, *abiecerat pater Roscius filium in sua praedia, ut illis colendis praecesset, quae est compensatio. abiit in praedia Roscy filius necessitate coactus: quia habebat certos fundos datos sibi a patre, quibus ipse fruebatur.* Haec est concessio: quod genus solutionis congruit, cum obijciuntur nobis ea signa, quae in affectibus cernuntur. ut, *deprehensus quidam flens, & intruens arcem, postulat tyrannidis appetitae, dicet se*

et se ita affectum, quod recordaretur ex conspectu arcis, quam misera conditio esset eorum, qui tyrannide premerentur. nam si signum in factis positum opponatur, thesi fere diluendum: ut, *si deprehensus in solitudine sepeliens cadaver hominis interfecti accusetur eius caedis, & dicat, aequum esse mortuos sepelire.* si signum sit aliquod dictum diluendum ex animo, & sententia, eius, qui dixit: ut, *si quis praeteriens forte dicat comprehensis in carcere, bono animo estote, brevi liberabimini, & accusetur tyrannidis, respondebit spectandum esse animum, quo illud dixerit.* verisimilis defensio fit, cum reus deriuat signum, quod illi obijcitur, in contrarium, & sui defensionem: ut in Rosciana, *relegatum esse in praedia a patre, certissimum argumentum est singularis amoris, & benivolentiae paternae, cum eius curae, & fidei omnia sua praedia commiserit.* quod si signum valde evidens sit, verisimilis defensio non habet locum, sed dicendum argumentum non valere a signo ad crimen: ut in eadem, *quia cum sicariis assidue versatur T. Roscius, non continuo sicarius est.* quod si sit signum evidens, & infame, potest refelli definitione violenta, est autem definitio violenta, cum dicimus hoc esse illud, sed ita ut, quod dicimus, sit admirabile, & contra hominum opinionem: ut in eodem exemplo

immo hoc ipsum versari assidue cum sicarijs, est sicarium, & homicidam esse. violenta autem dicitur definitio, quia vim affert animo, & vix adduci potest, vt illud credat. hoc loco posset explicari ratio opponendi, & dissoluendi oppositiones: sed quia, quod ad hunc statum pertinet, satis videtur explicata, in definitium reijciatur, ne huius status disputatio longius producat. possunt autem haec ipsa capita illustrari progymnasmatibus: vt descriptione, si describas comitatum sicariorum, communi loco, vt in sicarios, laude vt in superioribus, si laudes agriculturam, thesi, vt otium vitandum esse. ex his perspicuum fit, quod supra monuimus, oppositiones, & solutiones magna ex parte ex alijs statibus sumi. quin & nomina ipsa horum capitum ambigue pleraque dicuntur de ipsis statibus: vt translatio, assumptio. consuleretur fortasse melius huic arti, si haec nomina distinguerentur, vt status appellarentur exempli causa definitio, translatio, cum vero capita essent, definitium, translatium: vt idem Hermogenes in idea circuitio nis separat enumeratum ab enumeratione. retinemus tamen istam nominum ambiguitatem, vt ars Hermogenis possit ex eius scriptis planius intelligi. Epilogus diuiditur ab Hermogene in enumerationem capitula,

capitula, & locum communem, separatim etiam meminit idem affectum hoc loco in epilogis autem reliquorum statuum separat qualitatem communem a propria qualitate certae personae, & addit sententiam rei, aut actoris. quapropter epilogus in quinque partes potest quam commodissime distribui: quarum prima sit enumeratio, in qua, si multa capita in oratione fuerint exposita, breui repetuntur aut omnia, aut certe praecipua: vt in *Quinctiana*. secunda pars describit qualitatem personarum: vt rei, aut accusatoris, suatoris, aut dissuasoris, ex locis laudis, aut vituperationis: vt in eadem qualitas *Naeuij*, & *Quinctij* describuntur quo loco possunt inferi descriptiones: vt in *Rosciana* describitur elegantissime *luxus Chryfogoni*. tertia pars ex qualitate consilium elicit, cur reus crimen admittere voluerit, aut actor accusare: vt in eadem *Quinctiana* colligitur non aliud consilium fuisse *Naeuij*, quam vt per vim, & iniuriam aliena bona sibi vindicaret. quarta pars affectus persequitur misericordiae, aut indignationis: vt in *Quinctiana* misericordiae, cum obsecrat *Aquilium*, vt subueniat *Quinctio*, & indignationem eius contra *Naeuium* concitat. quae pars potest confirmari locis, qui pertinent ad finem: vt ibidem facit *M. Tullius*. hoc loco possunt produci

ab oratore in conspectum iudicum parentes, liberi, vxor, propinqui, amici ad eorū animos inflectendos: quae facit M. Tullius in epilogis, vt in Cluentiana quam multos profert Larinates, Ferentanos, Teanos, Samnites, in Sextiana vero peroratione personam Sextij filij, Milonis, Lentuli. hoc genus misericordiae potest refutari ab accusatore ex vtili, & alijs locis, qui pertinent ad finē. vt, *sed et perniciosissimum esse republicae ista pati, quod iudices corrumperentur.* vltima pars petitur ex capitibus, quae pertinent ad finē: vt in extrema Rosciana a glorioso, *ne existimatio vestra violetur, ab vtili, ne si hoc neglexeritis, proscriptio Syllana instauratur, ab aequo quia sapientiam vestram, & auctoritatē acquirere est opitulari innocentibus, ab euentis, ne malum hoc longius serpat.* atq. haec de epilogis. Ex hac disputatione satis intelligi poterit, quā tum afferant adiumentum progymnasmata ad orationes dilatandas: quod in coniecturali monuisse satis. nam eadem ratio poterit facile ad ceteros status transferri pro natura cuiusq. causae. neq. vero existimandū est, eandem rationem in demonstratiuis, vbi nullus est status, non valere. immo in eo genere licet liberius excurrere. naranda ibi multa, vbi descriptiones, ethopoeiae, & chriae poterunt interponi: amplificanda

multa,

multa, vbi comparationibus vtendum erit. praeter propositionem, & epilogum, quae communia sunt omnium causarum, videntum est, quae ex ceteris capitibus, in quas causas cadant, hinc sumpto initio. voluntas, & potestas propria tantum sunt personarum, praescriptio communis est personae, & facti, aut certe quiddam externum: cetera vero capita propria tantū sunt facti. Quib. ita positis, si de persona nulla sit controuersia, deerunt voluntas, & potestas: vt, *quidam deprehensus est insolitudine, cū hominem recenter iugulatū sepeliret, atq. eius caedis postulatur, nō constat de persona, cū dicatur, quidā, quod verbū indefinitum est, efficitq. thesim, in qua solum quaeritur an signum sit euidens. si de facto nulla sit controuersia, deerunt capita propria facti vt in hoc themate declamatorio, *nonerca, & ancilla cum viro forti solae versabantur, inuenitur is veneno necatus, quaeritur vtra eum necarit.* Si nec de persona, neq. de facto praecipue quae factio sit, sed de voluntate tantum, profligabitur solū signis voluntatis: vt, *nonerca, cū videretur insana, districto gladio incidit vulnus filio, & priuignum necauit, quaeritur simulata ne esset insania.* incidit plerunq. in coniecturalem praecipuam altera coniecturalis, quae iisdem capitibus potest explicari: vt*

in Rosciana

Sopater.

in Rosciana haec erat prima quaestio, *an Sextus Roscius patrem suum occidisset*. in quam haec incurrebat, *an pater illum odio prosequeretur*. Fit etiam interdum, vt qui controuersiam habent, idem crimen sibi vicissim obijciant. qui status recriminatio vocatur: vt in eadem, *tu Sexte occidisti patrem: immo tu T. Rosci patrem meum occidisti*. tunc vtraque pars separatim suis locis explicanda. Ex his percipietur quodcunque genus coniecturae sit quot, & quibus capitibus pertractari debeat. Hoc itatu vsus est M. Tullius in multis orationibus: vt in quinque Verrinis posterioribus saepissime. in tertia cum disputat, quae scelera commiserit Verres in quaestura, in legatione, & in praetura urbana: in quarta, quae in iurisdictione Siciliae, in quinta, quae in re frumentaria, in sexta, quae in signis, in vltima, quae in supplicijs. in Cluentiana, an Cluentius venenum dederit Vibio & alijs. in ea pro Murena defenditur Murena a M. Tullio, cum reus esset ambitus consularis, in ea pro Flacco defenditur item Flaccus, cum ex administratione Asiatica reus esset repetundarum. in ea pro Sylla similiter disputatur haec coniectura, an interfuerit Sylla coniurationi Catilinae. in Planciana, an Plancius corruerit tribus. in Coelina, an venenum pararit Caelius

lius Clodiae. in ea pro Deiotaro, an rex Deiotarus, insidias molitus sit Caesari. quin & in alias orationes Tullianas incidit hic status, quauis praecipuus in illis non sit: vt in Miloniana, voluerit ne, & an potuerit Milo occidere Clodium, an Clodius Milonem. ad hunc statum videtur pertinere illa quaestio, qua ab explanatorib. vulgo disputatur sit ne germanus auctoris liber, ac siquid incertum in historijs videtur: vt, *an lupa Remum, & Remulum educarit*. atq. haec de statu coniecturali: quem illustrabimus seorsum proposito exemplo breui, vt planius, & breuius tanquam in tabula expressa, quae de eo disseruimus, intelligi possint. Accusator. *no Propos. tasti epigrammate contumelioso magistratum. tio.*
R. tu non potes iure hoc a me repetere hoc tempo Praescri re, quauis poteras, cum praeceris eidem magi- ptio. stratui A. videris iudicium subterfugere, & dis- fidere aequitati causae. R. non subterfugio: age ce do mihi testes, quibus ego conuinci possim. A. te- Testimo nia. ste vero eius criminis, quo nullum occultius esse Signa. solet, tu postulas? nonne vides testes corrumpi posse, signis maiorem fidem esse habendam? R. testes quidem in omni iudicio proferri oportet, quod Voluntas. signa magnam partem sint incerta: sed cur ego tantum facinus admittere voluissim? cui bono mihi id futurum erat? A. tibi vero maximo, quod Potestas ille te odio prosequeretur. R. iam, etiam si voluissim sem

sem, nec potuissim quidem id committere: cum nec ingenio, neq. ista facultate poeticae artis excellam. A. an tibi non superant suis multi simillares ea arte praestantes? poteras etiam, cum abundares, uti aliorum opera. R. iam vero, quannis voluissim me, & potuissim conuiceris, nunquam me fecissim coargues. A. immo coargua his signis: tu saepe illuseras illi in circulis, & risum tenere non poteras, si quid ille fecerat, aut loquebatur te inspectante. R. risum vero in iudicium vocas? isto pacto naturam uniuersam poteris in iudicium adducere. A. ridere quidem integrum est, sed cum absit omnis suspicio simulatis, aut contumeliae. R. ego vero longissime aberam ab hac suspicione simulatis irridebam illum, ut eius mores deprauatos emendarim. A. non erat hoc tuarum partium munus. R. quid? quod si qua suspicio mihi fuisset pertimescedam huius criminis, non ego ita in sinuissim, ut assiduo illi illuderim. A. error, & imprudentia te eo induxit, aut quod est credibilis, consilio diuino accidit, ut diutius istud tuum crimen non lateret. Quare cum docuerim istum hoc a cinis comitere, voluissim & potuissim, quin etiam commississim signis certissimis conuicerim, antea atq. eius vita satis confirmet, quo consilio ista audere soleat, ecquid dubitandum erit vobis, iudices, quin istum hodierno die huius tanti, atq. atrocis criminis condemnetis? praesertim cum & legibus congruens hoc sit, & aequitati, magna q. laus vos con-

secutura

secutura sit ex eius condemnatione. R. Quapropter cum diluerim omnia, quae mihi obiciebantur, testis etiam sit mea antea acta vita constantis, & perpetuae meae innocentiae, multumq. calamitatis me condemnato contrahatur, dabitis credo operam, iudices, ut & pro aequitate causae, & pro vestri nominis dignitate, proq. legum, & patriae salute, me absoluat. Haecenus de statu coniecturali. nunc ceteros persequamur.

Epilogus
rei.

De statu definitiuo.



Coniecturam sequitur definitio. nam cum constiterit aliquid factum fuisse, deinceps quaeri solet, quo nomine illud sit appellandum. status igitur hic diuidetur in quinque partes, ut coniecturalis. quarum prima erit propositio breui amplificata circumstantijs: ut ex Sextiana potest hoc exemplum colligi coegisti homines armatos, in foro eos collocasti contra tribunal plebis: vim igitur fecisti, cui respondebit reus praescriptione eodem plane modo, atque in coniecturali: reo aduersarius eadem etiam referet, quae in coniecturali posita fuerant. tertia pars est capitulum priorum: ea sunt septem. primum definitio, cum ex rebus praetermissis docet reus nondum esse crimen plenum: ut,

at illis

at istis hominibus armatis neminē adhuc laesi. cui obijcit aduersarius cōtrariam definitio- nem ex rebus antea actis, quod est caput se- cundum: vt, *at conuocare homines armatos contra tribunal, atq. in foro eos collocare, id est vim facere*: quod caput idē confirmat ratioci- natione, quod est caput tertium. ea fit, cū ex his, quae consequuntur, vt ex fine ali- quo, aut ex ijs, quae ad finem pertinere di- cuntur, dicimus, siue addatur, id quod prae- termissum est, siue omittatur, idem effici: vt, *etiam si neminem tui isti armati pulsarint, idem detrimentum ex metu armorum consecu- tum esset*. cui reus opponit solutionem ra- tiocinationis, quod est caput quartum, ex ijsdem consequentibus repetitum: vt, *per- magni interest, laeserint ne aliquē, an non: quia non importaretur idē detrimentū ex utraq. re*. quintum caput sententia legislatoris com- mune vtriusq. aduersarij, ita vt, cum lex suppetat, si vnus vtatur scripto, aut verbis legis, alter vtatur sententia, & cōsilio illius. qui lege vtetur, adhibere poterit laudem legislatoris ex octauo progymnasmate, & legis laudem ex ultimo. quod si lex non suppetat, confugiendum erit ad mores ma- iorum: vt in Sextiana fingi potest lex ali- qua de vi his verbis: *qui homines armatos con- tra tribunal coegerit, vim fecisse damnas esto.*

tum

tum accusator iubebit legem recitari, & in singulaseius partes inquiret, vt in chria, aut sentētia: quod & reus faciet, si commodum illi fuerit. sextum caput quantitas, commu- nis quoque vtriusq. qua accusator auget fa- ctum tanquam in thesi: vt, *grauē est homi- nes armatos conuocare*, reus vero praetermis- sum auget, vt, *grauē est manus afferre*. vltimū caput est comparatio, commune etiam v- triusq. per quam accusator docet, grauius esse, quod factum est, quam quod est omis- sum: vt, *grauius est armatos cogere, quam ma- nus afferre*, vt disputat M. Tullius pro Caeci- na. contra reus docebit grauius esse, quod omissum est, quam quod est factum: vt, *gra- uius est manus inferre, quam homines armatos co- gere*. haec duo capita ad amplificandum po- tius sunt accommodata, quam ad confirmā- dum. propterquam etiam causam merito su- perioribus postponuntur, vt cum confirma- tum aliquid fuerit, tunc augeatur. opposi- tiones in statu definitiuo fieri possunt ex omni genere statuum: ex coniecturali qui- dem, si opponas fecisse, voluisse, aut potuif *Marcel- se*, quae solūtur ex locis, qui expositi sunt *linus*. in coniecturali: vt, *at tu spectabas caedem tri- buni. cui respondebit reus, meum vero consi- lium hoc fuisset, cui nulli bono caedes tribuni erat futura?* & *cum me antea acta vita ita omnium in- dicio*

G

dicio

deciis com mendasset? Potest etiam adduci oppositio definitiua a reo, quae diluenda est rationatione. nam quem admodum absolutio, & translatio, cum pugnent inter se, vnū alteri opponi, & vnū altero dilui potest, vt in coniecturali explicatum est, sic definitio, & ratiocinatio, cum mutuo repugnent poterūt inter se opponi, & vnū altero dissolui: vt, *neq. vero tribunum ego plebis vita priuissim, etiam si istum interemissim: quia iste temp. vexabit.* cui respondebit actor: *quasi* *Socius* *vero, qui vexat rempublicam, tribunus non sit. est quidem tribunus, quanuis seditiosus.* fieri quoq. potest oppositio absoluta ab eodem reo, quae soluenda est translatione: omnes siquidem iudiciales solui possunt translatione: vt, *licuit mihi tanquam tribuno munire praesidio militum.* huic accusator respondebit, *licuit vero, si illud prius cum plebe communicass.* fieri potest & assumptiua: qua tantum vsus est M. Tullius, quanquam Sopater & Marcellinus docent raro admodum contingere, vt in definitiuum statum cadat assumptio. hoc genus etiam oppositionis solui solet translatione: vt *neesse mihi erat, ut me tuerer contra impetum aduersariorum.* cui actor dicet, *potuisses commodius vitare eorum furorem, si te domi continuisses.* translatiua quoque potest ab accusatore suscipi, quae vt

antea

antea expositū est, dissoluenda erit absolute: vt, *at debebas manum istā armatorū in aliud tēpus, aut locū reseruare.* cui reus illud subiiciet, *feci, quod mihi tribuno integrum erat.* negotialis praeterea oppositio potest constitui, ex capitibus, quae pertinent ad finem & ex iisdem solui: vt, *at tibi utile erat istum expugnare.* cui reus, *nec utile mihi quidem fuit, neq. si fuisset, eo consilio, quin etiā inutile erat.* locus etiā legitimae in oppositionib. esse potest, quae dissoluēda semper est ex sentētia: vt, *etiā si haec omnia tibi cōcedantur, violasti interdictum praetoris.* huic reus respondebit, *alia erat mēs praetoris: vim fieri nō cēsuit, cū coactis hominibus armatis resp. defenderetur.* absolutio adhibēda est post haec capita, cū oppositio fuerit absoluta: vt in superiori exēplo, *potui ego, ut tribunus plebis hoc facere, quin cū populo illud antea cōmunicarē,* aut si fuerit assumptiua, vt in superiori itē, haec erit absolutio: *feci quidē, quod potui.* Ex hac disputatione animaduertet facile quisq. qua ratione possint oppositiones fieri ex singulis statibus, & quomodo sint diluēdae. neq. vero dubitādū, quin aliter fieri possint: vt definitio violēta potest dissolui translatione. sit exēpli causa illa definitio violēta, *versari cū sicarijs, est sicariū esse.* haec definitio ita solui potest translatione, *est quidem sicariū esse, si sicariorū munus exerceat.*

G 2

tran-

translatio quoque ea, quae ad personam non pertinet, ratiocinatione apte diluitur: ut si quis illud opponat, *alio tempore hoc fieri poterat*, respondebit alius, *quasi vero idem non consequatur, utronis tempore factum fuisset*. in assumptiuis autem potest etiam translatio dilui proposita sententia, & comparatione: ut si quis se tueatur aliquid commisisse quidem, sed pro salute Reipublicae, & alius obijciat translationem, *ut debebas id cum populo prius communicare*, poterit respondere, *ratio mei consilij spectanda est. nam, si illud cum populo communicassem, verebar ne divulgaretur, quod erat periculosius*. Quo loco intelligitur facta, ut dicta, & scripta mente, & sententia posse dilui: ut, *feci quidem istud, sed qua mente fecerim, considerandum est*. possunt postremo dilui, quae obijciuntur singulis statibus: de definitione, *feci quidem, sed illud deerat, ut isto nomine, quo tu postulas, posset appellari*. relatione criminis, *commissi istud, aduersarius tamen sustinet eius culpam. remotio criminis, tota culpa residet in quaestore, quamuis hoc a me commissum sit*. concessione, *dandum aliquid aetati, legitimis, condemnat quidem me ista lex, aut iste sensus verborum legis, illa tamen altera lex, aut ille alter sensus verborum legis me absoluit*. Haec igitur generalis est ratio obijciendi, & dissoluendi, quae obijciuntur pro natura cuius-

iisque status, & causae: quae si probe cognita fuerit, & coniecturalibus plures oppositiones suppeditabit, quam quae in eius disputatione expositae sunt, & omnibus statibus maiorem largietur copiam oppositorum, & solutionum, & vno verbo, capitum, quam quae ab Hermogene in singulis proposita est. quod & ipse Hermogenes fieri posse multis in locis fatetur, ut cum disputat de absoluto, de translatione, de legibus contrarijs. Sed quia praestitimus, quod promiseramus nos in definitiuo explicaturos rationem scilicet communem opponendi, & soluendi, qua fere tota statuum disputatione continetur, redeamus ad epilogos definitiuo: qui fient in hoc, atque in ceteris statibus eodem plane artificio, quo in coniecturali. Itaque si statuas Sextianam in hoc statu versari, ex quinque epilogorum capitibus M. Tullius tantum duo in eius peroratione adhibuit. praetermissit enim enumerationem, quia vix vnum, aut alterum caput persecutus erat in oratione, omisit etiam qualitatem personae, quia magnam partem eius orationis in ea explicanda contriuerat. sententiam item rei non addidit, quia eam interposuerat media oratione, cum oppositiones solueret. possunt autem & disputari capita duplicata in definitiuo, ut in con-

iecturali: vt si reus dicat *non sum sacrilegus, sed fur tantum*, quod est nomen vnum pro altero reponere: aut si actor dicat, *et vim attulisti, cum virginem vitasti, et reus es laesae reipublicae*. quo loco fit comprehensio duarum definitionum diuersarum, aut secundum duas personas vtri nomen conueniat: vt, *ut vim fecerit, qui consilium dedit, an auctor*, aut si duo nomina de eodem quaerantur: vt *sit ne impius et ingratus, qui patrem pulsarit*, quae duae definitiones dicuntur, aut si vna definitio in alteram incidat: vt in illa, *vim ne fecisse dicatur, qui homines armatos contra tribunal conuocavit, si quaeratur, sint ne armati, qui ea tantum arma afferunt, quibus se tueri, non alterum laedere possint*. videre licet in his omnibus disputandis iteranda esse capita, quae in definitiuo proposuimus. atque haec de definitiuo: quo statu plurimum vsus M. Tullius in ea pro Caecina, vt placuit Quinctiliano, & in Sextiana, & in octaua Philippica, cum disputat, sitne bellum decretum in M. Antonium an tumultus tantum, & in nonam incidit, an is qui causam mortis attulit, sit homicida. in currit & hic status in alias orationes. quauis princeps in illis non sit, vt initio Agrariae secundae, atque eius pro C. Rabirio perduellionis reo, cum disputat M. Tullius se popularem esse. huic statui non subiecimus separa-

separatim exemplum, vt coniecturali, quia in hoc statu explicando omnia capita vni, & eidem exemplo accommodauimus: at in coniecturali non erant a nobis omnia capita eodem exemplo illustrata. poterunt autem facile describi aliter accuser, & reus ex superiori exemplo Sextianae orationis. eandem rationem fere sequemur in ceteris statibus exponendis, vt non sit necesse exemplum altercantium a praeceptis separare.

De ratiocinatione.



Via ratiocinatio, & definitio status contrarij sunt, ob idque sub eadem rationem cadunt, atque iisdem fere capitibus, & eodem ordine exponuntur, post statum definitiuum de ratiocinatione disputandum est. Hic status continetur apud Hermogenem quidem decem & septem capitibus, quae reuocari possunt in quinque partes, vt superiores. quarum prima est propositio accusatoris: vt, *necasti matrem: ex lege ergo parricidij insueris in culem, et proycieris in profluentem*. praescriptio secunda pars est, qua respondet reus, *non potest hoc a me reperere iure hoc tempore*. cui actor dicit, *istud est diffidere*

aequitati *causae*. cui poterit reus respondere
 vt in coniecturali: *ego non subterfugio iudiciū.*
 deinde sequuntur septem capita propria
 huius status. primum definitio ex scripto,
non erat ascriptum in lege, qui matrem necarit.
 cui respondebit actor ratiocinatione, *perin-*
de et ascriptum sit, atq. non ascriptum: quia par
impietas consequitur eum, qui matrem, atq. eū,
qui patrem necarit. huic reus afferet solu-
 tionem ratiocinationis immo permagni inte-
 rest, cum dissimile sit genus impietatis. tum se-
 quitur sententia legislatoris communis v-
 triusque vt, actor illud afferet, *matrem nomen*
non expressit, quia satis putabat legislator ex pa-
tris nomine posse illud intelligi. contra alter,
patris tantum nomen adhibuit, quia id longe tac-
terrimum existimabat. deinde quantitas cō-
 munis item vtriusque: vt accusatoris, *at ne-*
fas est matrem necare. rei contra, *indigni ssi-*
imum vero patrem. deinceps definitio violen-
 ta communis vtriusque: accusatoris, vt, *ma-*
trem necare nihil aliud est, quam patrem occi-
dere. cui reus, immo non est illud. postea com-
 paratio communis etiam vtriusque, actoris
 quidem: vt, *grauius est matrem necare, quae im-*
becillior, & plures labores pro nostra salute pertu-
lit, quam patrem. tum reus, immo indignius pa-
 trem, quam matrem interficere. oppositiones,
 & solutiones fiūt, vt in definitiuo: vti ergo
 poterit

poterit reus hac assumptione: *matrem occi-*
di, vt vlciscerer mortem patris. cui actor re-
 spondebit translatione, *poteras aliter vlcisci.*
 contra reus vtetur absolute, *ultus sum, vt*
potui. capita epilogi eadem sunt, atq. in su-
 perioribus: quae poterunt exemplis in eo-
 dem argumento breui illustrari. epilogus
 ergo accusatoris talis esse poterit, *ostēdi, iu-*
dices, quod iste confessus est, matrem ab eo neca-
tam fuisse, legislatorisq. eam mentem fuisse, vt
qui eū a quo genitus esset, necasset sine patrē, sine
matrē, reus parricidij iudicaretur, istū praeterea
aliter vlcisci potuisse mortē paternam, eius etiā
anteacta vita satis declarat, quo consilio tantum
facinus committere ausus sit &c. vt in cōiectu-
 rali. epilogus autem rei talis erit: *docui legē*
de parricidio illud tantum spectasse, vt, qui prin-
cipem, & caput familiae necasset, grauissime
puniretur. mihiq. causam honestam, & iustam
fuisse matris necandae, cunq. ab ineunte mea
aetate ab omni genere huiusmodi scelerum, &
aliorum etiam leuiorum longissime abhorru-
erim, dabitis operam, iudices, &c. vt in conie-
 cturali. Ratiocinatio potest multis modis
 fieri a pari: vt in exemplo proposito. a ma-
 iori: vt, *non euertit legem, qui verberibus cae-*
dit trās fugam redeuntem, quem lege interime-
re licebat. a contrario: *non est homicida is dux,*
qui desertorem exercitus morte multarit, cum

Lib. 7.

Syrianus

lege praemium propositū sit ei, qui fortiter in bello, & bene rem gesserit. a minori, ut ait, Hermogenes, aut ut Quintilianus ab eot quod ante ad id quod postea: ut, si lege permittitur non nota inurare adultero, & occidere eundem licet, si ex illo hoc consequatur: sed aptius exemplū est illud a minori, qui commilitonē defendit, praemium petat: imperatorem defendit, vult petere praemium. quocumque autem modo fiat ratiocinatio, iisdem capitibus, quae proposita sunt, explicari debet. hic status in omnes status incidere potest: in illum autē coniecturalis incidere posse videtur, idque cum coniectura quaeritur quae fuerit mens, & sententia legislatoris. nulla videtur extare oratio Ciceronis, quae in hoc genere status versetur, in partem tamen alicuius aliquando incidit: ut in eam pro Caecina cum inquit: quibus enim rebus plerumque vis fit, eiusmodi res appellantur interdicto: si per alias res eadem facta vis est, eae tamen si verbis interdicti non concludantur, tamen sententia iuris, atque auctoritate retinentur, & quae hunc locum antecedunt, eodem spectant. illud etiam exemplum legitur in eadem, quod ad ratiocinationē referendū videtur: lex usum & auctoritatē fundi iubet esse biennium: at utimur eodem iure in actibus, quae in lege non appellantur. atque haec de ratiocinatione.

De

De absoluto statu.



Um ex ceteris statibus absolutus plura habeat communia cum de finitio, deinceps de eo differendum est. definitius si quidem, & ratio cinatio, & absolutus iisdem fere capitibus diuiduntur. ac diuidetur, ut ceteri, in quinque partes. quarum prima erit propositio accusatoris: ut, pinxisti naufragia in conspectu maris, nihil hoc importatur propter metum naufragiorum: lacisti rempub. secunda est praescriptio, & eius solutio, ut in alijs statibus. tum sequuntur capita, quae hunc statum proprie constituunt. ea sunt undecim, si crimen sit publicum, sin autem priuatum, tria tantum ex illis: primum scilicet, & duo posteriora, ut in illo exemplo: pater abdicauit filium: quia philosophiae studebat. primum igitur est particula iuris: ut, nulla lege prohibebat naufragia pingere. vocatur autem particula iuris: quia non satis est nulla lege prohiberi, ut aliquid iure facere liceat. & enim Solonis legibus. nullum supplicium constitutum erat, in eum, qui parentem necasset, neque tamen licebat tantum scelus admittere. secundum personae qualitas, quod etiam caput, ut superius, & quod deinceps sequitur, proprium est rei: ut

Sopater.

quid

quid quod privata persona, qualis est pictoris, non potest laedere rempublicam, cum illam non gerat, tertium definitio: vt, accedit etiam huc, quod pingere naufragia non est laedere rempublicam, cum eam nam non tradat hostibus. haec omnia capita habent vim praescriptionis. definitioni propositae accusator, vt in statu definitiuo, respondebit contra definitionem, & ratiocinationem, contraria quidem definitione: vt, immo pingere naufragia, priuare urbem comatu, est laedere rempublicam. ratiocinatione: vt, parum autem refert pingendis ne naufragijs, an prodendis ciuibus rempublicam vexaris. cui reus opponit solutionem ratiocinationis: immo per magni interest, vtraratione id fiat. tum adhibebitur sententia legislatoris ab utroque, si extet lex aliqua de ea re: vt actor dicet, consilium legislatoris illud tantum fuisse, vt qui rempublicam quocumq. modo afflixisset, is eam laesisset existimaretur. reus dicet contra, illud spectasse, ne qui ad rempublicam accederent, & eius honoribus, & beneficijs cohonestantur, quod iniquum plane est, illam laederent. post haec capita quantitas ab accusatore proponetur: vt, graue est rempublicam priuari ijs rebus, quae importantur a pictore. cui respondebit reus, graue esse remp. hostib. tradere: addet praeterea comparationem, indignius illam tradere hostibus.

hostibus, cui accusator respondebit altera comparatione, immo multo tetricius esse patriam fame necari praesertim a pictore, & opifice, quo loco multa congeret, quae valeant ad amplificandum. absolutio sequitur haec capita: vt in superiore themate dicet reus, sint ista, vt dicis: licebat tamen mihi pingere, quae vellem. quae ab accusatore dissoluitur translatione: licebat quidem, sed sine detrimento reipublicae. deinceps adhibentur oppositiones, & solutiones, vt in statu definitiuo. quod si oppositio assumptiua fuerit, quattuor capita possunt interponi. primū assumptio rei: pinxi naufragia, ne qui huc nauigarēt, temere se committerēt periculis. secundū altera translatione accusatoris: poteras tu commodius consulere saluti nauigantium. tertium altera absolutio rei. consului, vt potui ex arte, quam noueram. quae confirmatur thesi hoc modo: quisq. debet prospicere reipublicae, vt potest: contra actor, nemo debet abuti arte, quam nouit in perniciem reipublicae. cetera capita sunt epilogi, qui facillime poterunt fieri exemplo superiorum. Huius status sunt aliquot formae, vt superiorum. sunt enim alij status absoluti simplices, alij duplices. simpliciū itē vnus, qui ex re tantum commissa venit in iudicium, alter qui propter euentum potius, quā factum subit iudicium. prioris generis

generis tale erit exēplū: *C. Popilius* cū a *Gal-
lis* obsideretur, venit in congressum cū d:icibus
hostium, exercitumq. suum liberauit, amissis
tamen omnib. impedimentis: quam rem cum
postea in poculis, & anulis caelasset, accusatur
laesae reipublicae. huic generi absolutionis
conuenient capita supra proposita, non
omnia tamen: vt illud non congruet de qua-
litate personae: imperator siquidē hic erat.
posterioris generis exemplum est illud ex-
positum de pictore, nam accusatur non tam
quod pinxisset naufragia, quam quod ne-
mo eo nauigaret. huic generi est maxime
accommodata praescriptio, siue initio pro-
ponatur, siue post caput cōparationis: qui
locus ei opportunissimus videtur. in hoc
genus cadit saepe concessio praeter aliam
assumptionem: vt apparet in illo exemplo,
Philippus rex Macedoniae post cladem, quae ac-
cidit *Chaeroneae*, optionem dedit *Atheniēsi-
bus*,
vt acciperent vel duo milia captiuorū, vel mil-
le, qui eo proelio perierant: *Demosthenes* per sua-
sit *Atheniēsi-
bus*, vt mortuos peterent: captiuū in-
terficiantur a *Philippo*, accusatur *Demosthenes*
laesae reipublicae. poterit igitur *Demosthe-
nes* tūc ante alteram assumptionē uti hac
concessione: quasi vero vates ego essem, aut
potuisssem diuinare tanta usurū *Philippum* cri-
delitate. duplices absoluti aut sunt coniun-

ctione,

ctione, aut diuisione. coniunctione, cum
ex duobus criminibus, quae obijciuntur,
vnum sine altero constare non potest: vt,
quidam accusatur, quod in concione omnium
sententijs contradiceret, & quod nullam ipse pro-
nunciaret. in hoc genere neutrum factum
videtur per se dignum accusatione, si cōiū-
gantur tamen, vtrunq. est reprehendendum
itaq. in hoc genere semper accusatori dan-
da opera, vt duo crimina coniungat, reo
contra vt illa separet, quo possit commo-
dius se tueri. diuisione fit duplex absolu-
tus, cum vtrunq. crimen per se potest iu-
diciū subire: exemplum *Hermogenis* tale
est. *quidam*, cum multas vxores duceret, & mul-
tos filios sibi adoptaret, pestulatur vitae turpis.
in hoc etiā genere accusator vtrunq. factū
semper cōiunctim persequetur, nō quod
vtrunque per se graue crimen nō sit, sed vt
flagitiū tantū amplificet. in superiori autem
genere, nisi vtrunq. factū coniuncte pro-
posuisset accusator, nullum crimen, aut le-
ue admodum residere vi debatur. reus etiā
in hoc posteriori genere disiunget ea, quae
illi obijciuntur, vt minuat crimen. si quae
alia genera absolutionum forte occurrent,
ex his, atq. superiore capitum diuisione po-
terunt quam facillime explicari. In hoc ge-
nere status vix extato ratio vlla *Ciceronis*.
non

non desunt tamen, qui huc referant partem illam Milonianae, in qua disputat licere iure aliquem occidere. Sed videtur potius translatio, cum caedes quae solet aliquādo crimini esse, aliqua lege, & cum circumstantia permittitur.

De statu translationis.



Ost statum absolutum explicanda est translatio: quia propius accedit ad definitiuum, quam ceteri status: tū etiam, quia contraria est

Syrianus absolutio, & iisdē capitib. diuiditur, quibus definitiuus, & absolutus praeter admodū pauca. diuiditur igitur hic status, ut superiores in quinque partes: earum prima est propositio accusatoris, quae in hoc statu potest cū amplificatione potius, quā in ceteris exponi: quia in hunc statum vix cadunt quantitas, & comparatio, quae capita apta sunt ad amplificandum. sed, ne longū faciamus, sit haec propositio ex ea pro Rabirio Postumo: *credidisti pecuniam regi Ptolemaeo Rabiri, ut a Gabinio reduci posset, Gabinius propter eam restitutionem postulatus maiestatis, absolutus est corrupto senatu: reus igitur es corrupti iudicij.* cui respondet reus praescriptione ex scripto: *corrupti iudicij*

non

non est reus ex lege qui corrumpit, aut occasionem ad corrupendum dat. sed is, qui corrumpitur. tum sequuntur ea capita, quae maximam vim habent in hoc statu. primum translatio: ut, *nisi tu credidisses pecuniam regi, senatus corruptus non fuisset: quam refellet reus rationatione sic: parum interest, quo consumpserit pecuniam rex, quam ego illi credidi.* cui aduersarius opponet solutionem rationationis, immo per magni interest ad corrupendum ne senatum, an ad aliam causam honestam ea pecunia impenderetur. post sequuntur oppositiones, & solutiones omnino, ut in superiori: ut oppositio a reo ita fiet, quasi hoc illi crimini daretur: *necessitas me coegit, ut dioecetes regis fierem, & in custodia, atq. vinculis una cum rege multis periculis exponerer.* cui respondet actor translatione: *poteras pecuniam creditam recuperare sine infamia nominis, populiq. Romani.* cui reus afferet absolutioem, *feci, quod potui, & tempori parui: quam confirmat hac thesi: quisque, ut fortunas suas recuperet, debet quatenus pericula subire.* cui tum aduersarius opponet illā alterā, *moriendum potius fuisse civi Romano, quam committendum, ut infamiam inureret reipub.* cetera capita sunt epilogi. sed quoniam ea translatio certior censetur, in qua causam ad tempus, aut ad locum transferimus, proferamus

H

aliud

aliud exemplum translationis breui descri-
ptum, vt in coniecturali fecimus. Accusa-
tor, *occidisti uxorem tuam, quod impium faci-
us videtur, homicidij igitur reus es.* R. non potest
haec caedes a me repeti iure: cum lege mihi per-
missum esset adulteram interimere. A. at lex nõ
permittabat istud tibi, nisi cum eam una cum a-
dultero deprehendisses: quod tunc certius, & ma-
iustitius crimen teneatur. R. quasi vero multum
interjit hoc loco, an alio, tunc, an paullo post fuerit
a me occisa: cum illam vitæ priuare, idq. ex lege
mihi liceret. A. permagni interest: quia grauius
crimen fiat, & certius, cum una adulter, & adul-
tera deprehendantur. R. at eam occidi, quæ quo-
uis supplicio etiam populi iudicio dignissima e-
rat. A. digna quidem, oportebat tamen rem
populo prius exposuisse, & veniam tui de-
lictæ ab eo petere. R. feci, quod potui, & de-
bui. oportet enim, quenque, vt potest suam,
& suæ familiæ dignitatem tueri. A. im-
mo oportet cum luere poenas: qui suæ digni-
tatis causa leges neglexerit. epilogi facile con-
textentur ex præcipuis capitibus, & exem-
plo superiorum. haec de statu translatio-
nis.

De statibus assum- ptiuis.

Ex



Ex his statibus, qui supersunt, assũ-
ptiui plura habet communia cū
superioribus, quam ceteri. qui di-
uiduntur etiam in quinque. par-
tes. quarum prima est propositio: vt ex Mi-
loniana, *occidisti Clodium Milo.* secunda prae-
scriptio: vt in coniecturali, tertia continet
septē capita, quæ proprie constituunt hos
status, quorum primum, & secundū sunt rei,
primum est cōsiliū facti: vt, *spectandū erat
quo consilio illum occidissim.* non odio, non vltionis
causa. secundum assumptio siue vna, siue plu-
res sint, siue vnius speciei, siue diuersarum:
vt compensationis, *occidi Clodium: ne, si prae-
tor esset, vexaret rempublicam:* relationis cri-
minis, *occidi illum, quia mihi insidias struebat.*
duo capita, quæ sequuntur sunt accusato-
ris. tertium consiliū alterum: *non hoc consi-
lio tu occidisti Clodium.* quartum translatio, aut
si ea mente occidisti, *debuisti aliter illud facere.*
reliqua duo sunt communia vtriusq, quin-
tū comparatio rei: *melius est ciuem vnum
vitæ priuari, quam reipublicæ salutem non consi-
lere.* comparatio accusatoris: *melius est tanti-
per affligere rempublicam, quam illam suis ci-
uib. priuare.* sextum definitio violenta accu-
satoris, *rempublicam priuare suis ciuibus, est
illam vexare.* definitio rei: *ciues sceleratos pri-
uare vitæ, non est rempublicam vexare.* Thesis
sequi-

H 2

sequi-

sequitur, quae propria est rei: debet quisq. rē-
publicam tueri, ut potest. quarta pars cōtinet
duo tantum capita, quorum primum est ac-
cusatoris, altera translatio: ut, *debebas istud
populo auctore facere, aut senatu, cui respōdet
reus absolute, feci, quod potui.* epilogus,
ut in superioribus, alterum exēplum allum-
ptiui ex Ligariana fingi sic potest. *Ligari cū
armis fuisti contra Iulium Caesarem in Africa:
reus igitur es. spectandum est consilium, quo id fe-
ci. nō poteram ex Africa discedere: repulsi praeter-
erea Tiberones: quia non erant Africam tradi-
turi Caesari. non fecisti hoc consilio, aut si fecisti,
aliter facere debueras. peius fuisset non repellere
Tiberones, quam in Africa esse cum armis. immo
peius erat in Africa esse cum armis, quam non
repellere Tiberones. repellere Tiberones erat tue-
ri Caesarem. immo illud erat Caesarem oppu-
gnare. debet quisque, ut potest principē, quem se-
quitur, tueri. id ita est, si sit potestate praeditus
ad id perficiendum. eram ego ea potestate praedi-
tus. haec sunt fere, quae in assumptiuis obser-
uari solent cuiuscunq. generis sint. nam Her-
mogenes eadem ratione omnes eius formas
tractari voluit: quanquam eius interpretes
aliquid immutarunt. aliquando in hunc sta-
tum initio incidit definitio cum ijs capiti-
bus, quae illam consequuntur, sed id fit fe-
re cum crimen publicum est: ut in hoc exē-
plo,*

Marcel-
linus.

• plo, orator traditus tyranno scripsit apud illum
orationem de laude tyrannidis, propter quam li-
beratus a tyranno cū ad suos reuersus esset, accu-
satur laesae reipublicae. hic poterit disputari
haec definitio, an scribere orationem de laude
tyranni, sit laedere rempublicam, cum eam non
tradat hostibus, ut in absoluto statu disputa-
batur, id est, ita ut definitio habeat vim prae-
scriptionis. quasi dicat non potest hoc a me
iure repeti, cum istud non sit laedere rēpub.
in hoc praeterea statu illud obseruant in-
terpretes. Hermogenis a propositione sta-
tim progrediendum ad ea, quae ab initio ad
finem. quod caput sic appellatur a Fortuna-
tiano, ut ab Hermogene. est autem nihil al-
liud plane, quam amplificatio ex circumstan-
tijs eius facti, aut dicti, aut praetermissi,
quod propositū fuerit: ut in hoc exemplo
relationis criminis, *pater occidit filium, quod
puer meritorius esset, accusatur caedis, ita fiet
propositio amplificata: facinus crudelissimū,
atq. indignissimum commisit: filium tuum quē
genueras, quem educaueras, ausus es tua manus,
quod nefas dictu, necare.* haec amplificatio in
coniecturali pertinet ad signa, in ceteris ve-
ro statim ad crimina, quae in propositione
exponuntur. quae amplificatio, si cū propo-
sitione fiat, ante cetera capita simplicius est,
quasi narrationis modo, exprimenda, ut semi-

Sopater.

Libro. I.

Sopater.

na argumētorum aperire videatur. sed quoniam ista percipi non possunt sine ratione amplificandi, quae docetur ab Hermogene in inuentione, videtur ea ratio, quam secuti sumus in capitib. huius status explicādis, facilior, atq. magis expedita: ad alios igitur status tranleamus. nam quibus in orationibus vsus fuerit M. Tullius aperte his statibus, satis in eorum exēplis docuimus. in ea pro Rabirio perduel. reo vtitur hoc statu M. Tullius, cum disputat iure ne Rabirius sumplerit arma cōtra Saturninum. videtur etiam ea in Pisonem aliquid huius generis continere, cum in ea disputatur merito reuocatum fuisse Pisonem ex prouincia. quin & illa pro domo sua, cum in ea disseritur in iuriā domū Ciceronis sine iudicio affectam fuisse, & tertia Agraria, in qua culpam confert in Rullum, & alios tribunos, quod ipse defenderit Syllanas assignationes.

De legitimis statibus.



Via itatus legitimi, qui supersūt explicandi, quā simillimi sunt assumptiuis, & maxima vis vtrorū que eodē modo dissoluitur nimirū mēte, & cōsilio, propterea disputādū est deinceps de illis: ac primū de eo, qui ex scripto, & sentētia petitur, quia est simplicior reli-

reliquis. eius igitur quinq. sunt partes. prima accusatoris propositio ex scripto, quod contra illud aliquid admiserit: vt ex ea pro Caecina, *coëgisti homines armatos Aebutii contra Caecinā: violasti igitur edictū praetoris.* huic respōdebit reus praescriptione, quā dissoluet aduersarius, vt in cōiecturali. deinde sequuntur quinque capita, quibus proprie perficitur hic status. primū est cōsiliū rei, & legillatoris: vt, *non coëgi homines armatos, vt de fundo Caecinā deijcerē: praetoris autem mens ea erat, vt, qui de fundo Caecinam eiecisset, is violasse edictū putaretur.* cui accusator opponet secundū caput ascriptionis: vt, *at haec mens praetoris non erat ascripta in eius edicto.* tum sequitur tertium caput consilium non additae ascriptionis cōmune vtriusque rei quidem, non illud ascripsit praetor: quia facile percipi posse ex verbis edicti arbitratur: accusatoris, immo non ascripsit, quia eam ascriptionem iniquā esse existimabat. post haec quartum caput ratiocinatio, quod est rei: *parum interest facta ne fuerit ea ascriptio, an non, cū mens praetoris satis intelligatur.* cui aduersarius opponet quintum solutionem nimirum ratiocinationis, immo permagni interest, facta ne fuerit ascriptio a praetore. capita, quibus fiunt oppositiones, & solutiones, repetuntur ad verbū ex assumptiuis. quorum primum est assum-

zio rei: vt, *prohibui, ne intraret fundum suum Caecina, ut inter nos conueniret.* cui respondebit accusator translatione: *poteras tu aliter id facere:* tum sequitur comparatio communis vtriusque, rei quidē: vt, *peius fuisse inter nos non conuenisse, quam prohibuisse, ne Caecina fundum suum ingrederetur.* accusatoris comparatio: *immo peius erat prohibere, ne Caecina fundum suum intraret, quam inter vos non conuenisse.* deinceps adhibenda est definitio violenta communis vtriusque rei quidem: vt, *prohibere, ne Caecina intraret suum fundum, erat inter nos de pace constituenda cogitare.* accusatoris: *immo prohibere, ne ingrederetur suum fundum, erat pacem dirimere.* cui reus opponet thesim: *quisq. debet, ut pacem constituat, qui diuisefficere.* cui accusator respondebit altera translatione: *hoc ita est, dum auctoritate, aut potestate praeditus sit ad pacem constituendam,* cui tandem reus obijciat absolutionem: *satis magna potestas mihi data erat, ut cum illo conueniret.* cetera sunt epilogi. Hoc statu plurimum vsus M. Tullius in ea de haruspicum responsis, cum disputat haruspicum responsis non domū Cicero nis, sed facta Clodij notata fuisse. tota etiam fere pro Cornelio Balbo ad hunc statum videtur pertinere, quod in ea quaeritur, an lege Cornelia Gellia potuerit ciuitate donari Cornelius Balbus, cum populus

Ius Gaditanus nondum fundus factus esset de ea lege, id est, nondum eam recepisset, & quia populus Gaditanus erat foederatus. illud quoque orationis pro Plancio ad hunc statum referendum videtur, an Plancius lege Licinia reus ambitus in aedilitate fuerit. incidit & hic status in eam partem Quinctianae, qua ostendit M. Tullius Naeuium non potuisse possidere bona Quinctij ex edicto praetoris. quin & Liciniana aliquid huius status continet, quo loco demonstratur lege Siluani, & Carbonis donatum fuisse ciuitate Archiam. neq. vero Miloniana expers omnino huius status est, cum in ea interpretatur M. Tullius decretum senatus de caede Clodij contra rempub. facta. sed ad alios status properemus.

De contrarijs legibus.




Contrariae leges iisdem capitibus absoluuntur, & eodem ordine, quo superior status, nisi quod capita omnia duplicantur, & caput continentiae interponitur; quod est proprium huius status. propositio igitur accusatoris haec erit: *abdicatus es: non potes igitur dominus esse natus.* cui, vt omittamus praescriptionem, respondet reus consilio: *lex ista*

ad filios pertinet, non alienos, qualis ego sum, & proponet alteram legem superiori cōtrariam: quin est & alia lex, quae me dominum navis constituit: quod in ea remanserim. cui accusator obijciat alterum consilium, eam legem probandam esse, dum alteri non contradicat. quattuor capita, quae deinceps sequebantur in superiore statu, nullum habent fere locum in hoc statu: quia idem est momentum illorum ex utraq. parte. assumptio ab accusatore haec addipotest: *at tu inhonoratus eras*, ubi potest interponi locus communis, ut in relatione criminis, *occidi eum, quia insidiator erat*: quanuis in relatione criminis semper potest interponi locus communis. sed de interpositione progymnasmatum satis in coniecturali disseruimus. accusatori igitur respondebit reus translatione: *neque inhonoratus eram, etsi essem, non debui privari ea nave, quam ego servaueram*. altera assumptio ex reo: *at permansi solus in nave, ut meam virtutem, & animi magnitudinem cum salute navis coniungerem*. quo loco potest describi tempestatis magnitudo. cui respondebit accusator altera translatione: *poteras aliter tuam virtutem ostendere*. sequitur comparatio utriusque legis, quae fieri debet ex locis laudationis, & thesis, utra prior, utra a meliore legisla-

legislatore lata, utra ad plura, ad meliora pertineat, utra aequior, utilior &c. tum continentia. sic enim cum Fortunatiano *Libr. 2.* hoc caput vno nomine licet appellare: quo capite significamus aliquoposito, aut sublato utruq. servari, aut tolli: ut, *si dominus navis ego constituar, neutra lex violabitur*. sed planius hoc intelligitur in alio exemplo: *lex est, vitata eius qui vitavit, mortem, aut nuptias indotatas petat: vitiat idem duas puellas eadem nocte, una petit eius interitum, altera nuptias optat*. hic dicet, quae mors illum cupit, utriq. *satisfactum iri, si vita privetur, itaq. futurum, ut utraq. iniuriam sibi illatam ulciscatur*. sed redeamus ad illud exemplum, quod a principio susceptum erat. deinceps igitur definitio violenta a reo proferetur. *neque navis erat illa patris, sed tempestatis: ab accusatore vero, immo paterna*. deinde thesis a reo proponetur hoc modo: *debet, qui solus in nave relinquitur, illam tueri*. cui accusator opponet alteram translationem. *id ita est, dum legibus non contradicat*. cui reus obijcit *absolutionem: feci, quod potui*. reliqua capita sunt, ut in epilogo.

De ambiguitate.



Ambiguitatis quinque sunt partes: prima duplex propositio: una accusatoris, ut, *meretrix, quia deprehensa es cum veste purpurea, publica ex lege eris.* cui rea afferet alteram propositionem, ex altero sensu verborum legis de promptam: *non ego, sed vestis publica erit.* secunda praescriptio, ut in coniecturali. tertia pars continet duo tantum capita: quorum primum est consilium legislatoris, commune vtriusque, accusatoris quidem: ut, *voluit legislator publicari meretrices, ut tantum crimen acerrime puniretur:* a rea alterum consilium proponetur hoc modo: *immo legislator temperari voluit istam severitatem publica solum veste.* alterum caput est continentia, ut in superiore statu, idque ex accusatoris tantum parte: ut, *si tu publicereris, & vestis publica erit, non contra.* quarta pars continet tria tantum capita: quorum primum est assumptio accusatoris: *at meretrix es.* cui respondebit illa hac translatione. *meretrix quidem, sed satis misera condicione, cum privata sim ornamentis pudicarum:* cui addet hanc thesim, *oportet quenque qua ratione potest, suae inopiae subuenire.* ex his constat veram esse sententiam Sopatri in omni statu legitimo post explicationem capitum priorum, cetera capita repetenda esse ex aliquo eorum statuum,

statuum, quos rhetores rationales appellant, ut ex absoluto, aut aliquo assumptiuo. Epilogus extremus est: in quo vehementer laborandum est de perturbationibus commouedis, quia cetera capita parum habent praesidij in hoc genere status.

De statu negotiali.

Status negotialis explicandus est post alios status, quia illius capita tractantur fere ex capitibus aliorum statuum. huius quinque sunt partes. prima propositio: ut ex Maniliana, *Cn. Pompeius praeficiendus est imperator bello Mithridatico.* secunda pars praescriptio: ut, *tu non potes sententiam dicere in hac causa.* cui respondebit aduersarius, *possum sententiam dicere de hac causa.* capita propria huius status sex sunt: legitimum, aequum, utile, quod fieri potest, gloriosum, atque euentus: quanquam aliqui extimarunt gloriosum sub eo, quod utile est, comprehendi posse. sed contra communem hominum opinionem. sapentiores enim dignitatem utilitati, plebeii, & agrestes utilitatem dignitati anteponunt. legitimum, si negotialis pendeat ex scripto, absoluitur capitibus status alicuius legitimi: ut illud ex Liciniana, *sit ne retinendus Archias*

chias in ciuitate ex lege Papiria, perficietur capitibus status ex scripto. quod si non pendeat ex scripto, consuetudo proferenda est: vt in Maniliana docet M. Tullius, *non esse contra consuetudinem Romanorum, ut omnia ad vnum deferantur.* secundum caput est aequum, quod explicari potest ex capitibus absoluti status, aut assumptiui, aut translationis: vt in Liciniana, *aequum est Archiam retinere in ciuitate: quia ornauit res nostras suis carminibus,* quod est propriū cōpensationis: nisi quis ad criminis relationem malit illud referre, vt eadem ratio in contrarias partes valeat, ita vt quemadmodū crimen referri videtur tanquam meritū, & debitū in eum, qui prior iniuria te laesissiuit, sic tu ei, a quo primus beneficiū acceperis, iustā, & debitā gratiā referas. Tertiū caput est vtile, cuius illa maxima vis est, cū docemus non solū vtile, verū etiā necessariū esse. Utilitas potest explicari dupliciter, quid nimirum consequetur, si hoc fecerimus, aut quid accidet, si illud nō fecerimus. vtraq. pars potest quattuor modis explicari: vt si hoc feceris, bonum praesens conseruabis, & speratū consequeris, aut malū praesens depelles, aut quod impendet vitabis: item si non feceris, bonū praesens amittes, & speratum non assequeris, & malum

Vlpianus.

lum praesens te vrgebit, & quod impendet, tibi accidet. ita M. Tullius in Maniliana docet *bellum Mithridaticum suscipiendum esse non solum, ut propulsetur calamitas, quae tunc premebantur, verum etiam metus impendentis calamitatis.* Utilitatis caput potest, vt status coniecturalis disputari: vt curate, *ut hoc bellum quam celerrime a vobis conficiatur: imminet vobis hostes acerrimi, & potentissimi, quiq. vestrae gloriae, & nomini aperte, & vehementer inuident.* in hoc exemplo vides metum calamitatis, quae impendet tanquam factum aliquod in coniectura positum ex volūate, & potestate, quae capita propria sunt coniecturalis, explicatum fuisse. quod fieri potest ad summum adducitur, si, quod propositum est, non solum fieri posse, verum etiam quam facillime fieri posse doceatur. potest autē explicari potestas iisdem locis, quibus in coniecturali vtendum esse docuimus: loco scilicet, tempore, bonis externis, vt opibus, amicis. nam quibus haec, & alia huiusmodi suppetunt, possunt facile, quod volunt, efficere. ita docuit M. Tullius in eadem *bellum Mithridaticum magnum, & difficile esse: quia coniungunt illud duo reges potentissimi, renouant agitatae nationes, suscipiunt integrae gentes, & novus imperator Romanus.* Gloriosum dupliciter

pliciter item tractari potest: si feceris, aut si non feceris, hoc consequetur, & vtrunq. caput quattuor iterum modis. si hoc feceris, dignitatem praesentem tueberis, speratam adipisceris, infamiam praesentem auertes, quam vereris, effugies, si non feceris, infamia praesens te opprimet, & ea, quam pertimescis, tibi accidet, dignitatem praesentem amittes, & speratam non consequeris. ita M. Tullius pro lege Manilia, gloriosum esse docuit suscipere bellum Mithridaticum, ut deleteretur ignominiae nota, quam inusserat Mithridates P. Romano, cum tot millia civium eadem hora inisset occidi. caput vltimum euentus dupliciter quoq. explicatur, pro utilitate scilicet posteriori, aut gloria: ut ex hac utilitate, aut gloria, quam primo comparabis, haec utilitas, aut gloria postea consequetur. exemplo plane intelligetur, si studio philosophiae operam egregie nauaueris, philosophiae perfectam cognitionem comparabis. hoc est argumentum ab utili: cum autem philosophiam perfecte perceperis, vitia omnia facillime expelles. hoc posterius argumentum petitur ab euentu. aliter ab alijs accipitur hoc caput nempe, in vtranuis partem euentus cadat, utilitas tamen, aut gloria consequetur: ut, siue Romani vincant Mithridatem, siue non vincant, utile, & gloriosum illis est.

Inter.
Hermo.

est bellum contra eum suscipere. Haec sunt sex capita, ex quib. omnes deliberationes duci possunt ratione quidem breui, atq. expedita. nam quae affertur ab Aristotele, quauis maior fortasse copiam argumentorum possit largiri, multo tamen prolixior est, & maioribus obstructa difficultatibus. Oppositiones in hoc statu ex iisdem fere capitibus peti solent: ut in Maniliana, quod obijcitur a Q. Hortensio, non oportere omnia ad vnum deferre, quod caput est inutilis. & illud alterum, quod obijcitur in eadem, nihil contra instituta maiorum suscipiendum. quae oppositio plane sumitur ex legitimo. nam consuetudo ad legitimum refertur. in hoc igitur tantum statu omnia capita sunt communia vtriusq. aduersarij, suasoris, inquam, ac dissuasoris: non proponuntur tamen eodem modo ab vtroque. nam, quae vnus affirmate proponit, alter eadem refellit vno trium modorum, qui in thesi sunt expositi. ita ut aut neget caput propositum, aut concedat illud quidem, sed cum aliqua circumstantia alio illud auertat quod est proprium eius translationis, quae fit per antiparastasin, aut, quod extremum est, contrarium illi suggerat. exemplis haec planius intelligentur. si suasor docuerit aliquid utile esse, dissuasor contra demonstrabit non esse utile, quod est negationis, aut si

Libr. I.
Rhe.

utile sit, non hoc tempore quidem, neq. hoc loco, quae est anticipata, aut inutile, & perniciosum esse: quae oppositio vim affert ex contrario. iisdem modis refutari possunt cetera capita: ut non est hoc aequum, aut si aequum non hoc loco, neq. hoc tempore, immo est iniquum. Possunt & oppositiones ex reliquis statibus in hunc incidere: ut in eadem Maniliana illa coniecturalis, *at fieri potest, ut Pompeius pereat.* quod si quispiam contendat hanc quoq. oppositionem negotialem esse, ex eo quod fieri possit, non magno opere repugnabo, dum illud positum sit, quod est certum, & exploratum posse oppositiones alias in hunc statum cadere, ut illa ex ratiocinatione, *at permagni interest hoc tempore, an alio istud afferat utilitatem,* & illa ex definitione, *at quod positum est tantum in consuetudine, neq. vlla lege sancitum, id legitimū non est cōcedendum.* sic & aliae multae afferri possunt. de quarum inuentione, & solutione satis in definitio disputatum. Epilogus eodem modo tractatur, atq. in ceteris statibus. hinc M. Tullius docet in peroratione Maniliana, qua mente ad eam causam suadendam accesserit, atque Manilium hortatur ab eo, quod fieri potest, ut in sententia permaneat. Ad hunc statum multa referuntur: qualia haec sunt, quae proferuntur

a For-

a Fortunatiano, ut cū magistratus aliquis appellatur de iniusto supplicio, cū aliquis ablicatur, cū petitur aliquod praemiū a Reipub. aut principe, cū quaeritur vnū ne praemiū a duo debeantur ei, qui duas res praestiterit. neque vero haec tantum simplicia huic statui subijciuntur, sed illa etiam, quae in comparatione cernuntur: qualis est diuinitio, id est, cum quaeritur, quis sit idoneus accusator. ut illa M. Tullij in Verrem. cuius orationis statum censuit etiam A. Sconius qualitatem esse negotialem comparatiuam. Comparatio quoque qualitatum ad hunc statum pertinet, ut cum personae comparantur, qui plus Reipub. praestiterit: qualis illa declamatio apud Quintilianum seniore de medico, oratore, & philosopho. Sed de comparatione, quae fit in statibus, in figuris orationis disputabimus ex sententia Hermogenis. nunc breui percurramus eas orationes, in quibus M. Tullius hoc statum usus est. in Diuinitatione igitur, ut diximus, utitur hoc statu, cum disputat ipse ne, an Caecilius constituendus sit accusator in Verrem. in Maniliana item, quod vulgo notum est. in prioribus agrarijs illud etiam disputari videtur, improbandas esse leges Nulli in actionibus in Cautilnam aut nullus est status, in prioribus. saltim,

aut si qui sit, is est negotialis. Prima, abeundum Catilinae, secunda eijciendos eos, qui cum Catilina coniurauerant, tertia curandum, ne illi noceant coniurati, supplicatio nem Ciceroni decernendam, quarta grauer puniendos coniuratos, sententiam Silani sequendam. Liciniana autem videtur huius generis esse, cum in ea disceptetur retinendus ne sit Archias in ciuitate. continet aliquid etiam huius argumenti Corneliana. nã illa de prouincijs consularibus, quae Cornelianã sequitur, omnino ad hunc statum pertinet, cum in ea disputetur retinendum esse Caesarem in Gallia, Macedoniã, & Syriam prouincias non Pisoni, neq. Gabinio, sed alijs decernendas. Philippicae vero fere omnes ad hoc genus sine vlla dubitatione referuntur. prima enim disputatur acta Caesaris seruãda esse, non ferẽda acta Antonij, tertia resistendum quam primum Antonio, vt hosti, quarta idem fere apud Quirites disputatur, quinta non esse legatos mittẽdos ad Antonium, sexta bellum quam primum suscipiendum contra M. Antonium, seruitutẽ repellendam, septima pacem cum M. Antonio non esse constituendam, octaua recipiẽdos eos, qui cum Antonio erant, benemeritis gratias referẽdas, nona statuam, & sepulcrum Sulpicio decerni oportere, decima libertatem

bertatem recuperandam, confirmanda acta Bruti, & prouinciae administrationem Hortensio, vndecima imperatorem deligẽdum, sed non extraordinarium, milites veteranos, & tyrones ornandos, duodecima reuocandam esse legationem Ciceroni decretam in M. Antonium, decimatertia Seruilij sententiam probandam, Sex. Pompeium laudãdum, pacem cum M. Antonio nullo modo fieri debere, decimaquarta saga non esse ponenda, hostem Antoniũ iudicandum, honores tribuendos militibus pro rep. mortuis. sed quoniam negotialis status magna varietate exemplorum explicatus est, proponamus aliquod exẽplum, in quo series capitũ expositorum aliqua ratione possit conseruari. inducamus autem suaforem, atque eũ cui suadetur, repugnantem, & tanquam dil suaforem. *Su. cum tot annos in studijs grammaticae, poëticae, historiae, & philosophiae contrineris, elaborandum tibi hoc tempore est, vt te ad studium eloquentiae conseras. Dis. facietum sane admonitorem. unde tibi tantum auctoritatis, ista praesertim aetate, qui me ita monere audeas? Su. ego vero auctoritate parum admodum valeo sed, cum amicitia, quae mihi cum patre tuo coniunctissima fuit, quibus potui officijs, semper coluerim. faciendum mihi putavi, vt te admonerem, si quid tua interesse arbitraret: tu vero videris sub*

*Propositi-
tio.*

*Præscri-
ptio.*

ic fugere ad orationes amicorum, & nolle eorum consilijs parere. Dis. libenter equidem consilij amicorum, ac praesertim paternorum parem se esse monere. t. quae aut legib. essent sancita, aut in consuetudine nostrorum hominum essent legitima. Su. Lex quidem nulla apud nos lata, quae iubeat, ut adolescentes eloquentiam profiteantur, erat tamen in hoc in more, institutoq. maiorum nostrorum positum, ut cum ex grammaticis adolescentes exissent, historiamque, & poeticam aliquantulum digestissent, rhetoribus traderentur. I. s. iam prius apud nos haec consuetudo interrupta, aut sicubi reperitur, pauci admodum hanc artem discunt, neq. in gymnasijs, ut philosophiam, seu confectionem hominum fugiant, atq. in domos priuatas, immo in partes earum interiores sese abdunt. Su. at est hoc studium eloquentiae longe utilissimum. Dis. audio hoc studium a nostris hominibus despiciatui duci, contra atq. tu dicis, quod aut nullus fructus ex eo percipi posse videtur, aut certe exilis, & obscurus: praesertim hoc tempore, quo totum hoc artificium suspectum est auditoribus, quin & saepe audiui ex maioribus natu multa detrimenta ab oratoribus nostrae reipublicae fuisse importata.

Ab utili. sed ut ista, quae de utilitate huius studij iactata, ita esse concedam, accipitamen difficillimam, & perobscuram esse rationem huius artis cognoscendae, multasque, & inter se dissimil-

millimas eius vias a priscis scriptoribus fuisse demonstratas. Su. est ita, ut dicis: magistri tamen, libri, assidua exercitatio istas omnes obscuritates facile depellent. Dis. depellerent, credo, si harum rerum copiam haberemus: sed qui, & quales apud nos huius artis doctores? quam pauci hypodidascali, cum quibus de his studijs communicare possimus? neque enim semper doctorem adire licet: familiarius etiam litterarum studia cum hypodidascalis conferuntur. nam librorum, si non magna, aliqua certe erit copia. Su. iam vero, quo plura tibi decerint praesidia ad hanc artem cognoscendam, eo maiorem laudem, & gloriam, si in ea profeceris, consequeris. Dis. egregiam vero laudem, cum apud nos abiectissimi sint oratores, saepeque eos concio relinquat. Su. etiam simillata gloria, nulla utilitas ex huius artis cognitione comparatur, ipsa tamen per se est expendenda. Dis. sicine ais, cum a nullo homine ingenio colatur? Hoc exemplum, quia rude est, & impolitum, non satis videtur dignitati eloquentiae convenire. Sed cum aliud sit capita status alicuius negotialis, aut cohortationis indicare, aliud illa amplificare, & perpolire, ferenda aequo animo est haec tenuitas orationis, dum locus ille de ratione dilatandi, & amplificandi cognoscatur. Si quis autem praepropere

A glorioso.
Ab euentu.

re festinare volet, adeat nobiles illas cohortationes ad studium eloquentiae, quanuis breues, quae leguntur in dialogis de Oratore M. Tullij. atq. haec de negotiali.

De praescriptione.



Vperest is status, qui proprio nomine praescriptio appellatur, quo omnē actionē excludimus. hic status post omnes docetur: quia nihil habet propriū, sed repetit omnia ex alijs statibus. in hoc igitur statu nihil aliud disceptatur, nisi de eadē re bis iudicium fieri non posse, quod lex illud prohibeat. quod caput disputatur, ex capitibus status eius, qui ex scripto & sententia explicatur, sed ita ut capita rei tribuātur actori, & cōtra. deinde abhibētur capita eius status, qui in e. xēplū propositū inciderit. exēplo fient haec perspicua: *quidā, cū accusatus esset homicidij, absolutus est: longo post tēporis intervallo, cū testibus certissimis eius criminis convinci posset, vocatur denuo in iudiciū: dicet ergo reus se non posse iterū in iudiciū de eadē re vocari, quod lex illud vetet, at actor illud referet considerandum esse mentem legislatoris, non scriptū. cui reus respondebit legislatorem illud ascri-*

scripturum fuisse, si ea fuisset eius sentētia. tum actor, cui illam ascriptionem legislator non adhibuerit, exponet, reus vero aliā rationem subijciet, cur ea ascriptio praetermissa fuerit. cui accusator subiunget ratiocinationē perinde esse, ac si legislator eam ascriptionem litteris consignasset, cū eius consilium satis ex verbis legis intelligatur, reus vero soluet illam ratiocinationē cum dicet permagni interesse ascripta ne ea verba fuerint in lege. quod loco addetur alius status hoc modo. *quid quod, etiam si ista lex me hoc periculo non liberaret, neq. poena, a me huius criminis repeti posset. non enim eadem commissi: propter quam etiam causam iudicio superiore absolutus sum. cui actor, immo absolutus non es, aut immerito cum iudices fefelleris. vides, ut delapsa est disputatio ad statum definitiuum, aut qualitatis. quo loco poterit repeti controuersia a principio ex capitibus status definitiui, aut qualitatis. eadem ratio valebit, quicumq. alius status in hunc cadat, ut ex eius scilicet proprijs capitib. quaestio profligetur, & ad exitum adducatur. atque haec de praescriptione.*

De statibus in commune.

In Bruto.

Hæc est statuum explicatio, quæ ex illa disciplina Hermagoræ manauit, quâ M. Tullius ad inuenendū expeditā esse censuit:

quod rationes certas, & præcepta dicendi det, quæ habet ordinem, & quas iam errare in dicendo non patientes vias, quas, qui tenent, parati ad causas veniunt, ut idem de C. Sicinio testatur.

In Bruto.

his præceptis Hermagoræ, ut idem ait, *ut hastæ vel itibus amētatae, sic apta quædā & parata singulis causarum generibus argumenta traduntur.* qui loci Tulliani, quanuis de tota arte Hermagoræ dicantur, maxime tamen huic partī sunt accōmodati: quod in hac potissimum singulis generibus causarū argumenta congruentia, & ordine certo tradantur, quæq. errare animos oratorum

In part.

omnino non patiantur. nam ratio illa inuentionis Topicæ, quam M. Tullius corroborata iam ætate huic anteponendam censuit, vagatur liberius, neq. certos ita habet, & proprios fines, quib. circumscribatur.

Decorat.

2.

quin & subactō eger ingenio, ut ille ait, & multa lectione, auditione, litteris, vñ, & institutis eorum præsertim, apud quos dicis. neq. vero negauerim hanc rationem statuum istis præsidij multum adiuuari posse, quin & fieri perfectiorem: est tamen hæc ratio ad inueniendum expeditior, & magis

magis se ipsa contenta. accedit etiam huc, quod Aristoteli, & omnibus, qui de his vere possunt existimare, placuisse accepimus, argumenta eo aptiora futura sententijs nostris confirmandis, aut aliorum refellendis, quo magis propria cuiusq. generis fuerint. quâ rationē conuenire magis huic disciplinæ, quâ illi inuentioni Topicæ, non poterit quisquâ negare. teneamus igitur hanc rationē ab Hermagora acceptā, a Minuciano excultam, & cōmentationibus Porphyrij illustratam, ab Hermogene perfectam, atq. ad summum perductam: quam & Aristoteles aliquot locis obicurius quidem indicasse videtur, sed vno omnium apertissime, cum disputat in exordijs, qua ratione criminationes diluendæ sint. tota tamen hæc ratio est ab Hermogene copiosius, & distincte magis, atq. planius explicata. quod si aliquis calumniatur multa in exemplis huius artificij tingi aliquando ab Hermogene, a nobis vero sæpius peccari, fingere quidē integrum esse nobis dicam præsertim Cornificio auctore, peccare vero etiam philologis magistris veritatis exempli causa aliquando cōcessum fuisse. nam quod alij obijciunt huius argumenti scriptores videri, ut Stoicos nominum architectos, id probare nullo modo possum. nomina enim, quibus

lib. 3. Rhetorici.

bus in hac arte explicanda Rhetores vtuntur, aut sunt quotidianae cōsuetudinis, aut si quid habent alieni, potest illud vnde trās-
latum sit, facile explicari. cuiusmodi illud est de signis, quae vocantur a technicis, vt supra docuimus, ab initio ad finem, quod ab initio quaestionis ad extrema vsq. in-
quiratur, quid fecerit, quid dixerit, quid praemiserit, quae signa sunt, aut quod ab initio rei ad id vsq. quod in disceptationem venit, omnia repetantur: quasi sit comprehensio quaedam plena facti ex omnibus circumstantiis. quale etiam illud est, cur assumptioni nomē coloris ab Hermagoreis, tribuatur: quod nimirū, vt ait Porphyrius, quasi color quidam, & species quaedam honestatis assumptione afferatur. hinc coloris nomen frequens in controuersijs Senecae patris, & controuersiae coloratae declamatorum Latinorum, vocatur etiam eadē translatio causae, quod crimen ad causam quādam honestam transferat. huc etiam pertinent illa defensionem verisimilem vocari per antonomasiam, quod sit omnium defensionum haec maxime verisimilis. in statu quoq. definitiuo, definitio vocatur caput quoddam praecipuum, quod reus illa quasi certo termino circumscribat, & definiat crimen, quod effugere cupit: quasi dicat,

Sopater.
Syrianus.

Sopater.

Syrianus

eat, si hoc addidisses, certū, & definitum crimen fuisset. in eodem statu, atq. in alijs ratiocinatio illud caput vocatur, quo colligimus idem effici ex factis, aut scriptis, & praetermissis. quia veluti in ratiocinatione colligimus ex certo, quod incertum est. vnde a Fortunatiano collectio nominatur, a Sulpicio autem Victore, par, quod nomē aptius videtur. sed de nominibus satis disputatum. nam cetera facile intelligētur, si quis diligenter singula animaduertat. nunc, quod video ab alijs expectari, paucis persequamur, qua ratione scilicet posita quaestione cognosci certo possit, ad quem statū ea pertineat. quod est difficile, & perobscurum, quia plerunq. eadem species criminis in diuersis statibus proponitur, vt in exēplis a nobis positis translatiui, & assumptiui, atq. etiam praescriptionis, cum propositio exponitur, eadem illa clausula adhibetur: *reus igitur es homicidij.* est praeterea alia causa obscuritatis maxima, quod idem possit & signi, & eius, de quo disceptatur, locum obtinere: vt in hoc exemplo apparebit. *veneficus quidam pollicetur reipublicae se intra quinque dies tyrannum, negaturum, intra eos dies perit tyrannus ictus fulmine, veneficus praemium petit.* in hoc exemplo mors quidem tyranni intra eos dies signum certum

Lib. I.

Syrianus

tum videtur eius, quod veneficus promissit
 rat reipublicae. qua ratione posterior haec
 quaestio erit status definitiui, illa coniectu-
 ralis, *an veneficus occiderit tyrannum*: ex qua se-
 quebatur negotialis de praemij petitione.
 qua ergo ratione cognoscetur certo adque
 statum referendae sint singulae quaestiones?
 videndum est, quod responsum primum afferat
 reus, & quo modo se tueatur, aut crimine su-
 um purget. haec etenim ratione ex his, quae
 exposita sunt de natura cuiusque status, facil-
 lime percipietur, ad quem statum reuocanda
 sit quaestio proposita, licet eadem clauula
 criminis repetatur. vt si actor intederit hac
 lite reo, *occidisti hominem, reus es homicidij*, si re-
 us respondeat, *non occidi*, neque quicquam prae-
 terea addat coniecturalis erit, si dicat, *absol-
 lutus sum iudicio, non potest hoc crimine a me
 repeti*, praescriptio. quod si illud afferat, *occi-
 di quidem, sed iure, quia me prius ipse laeserat*,
 assumptiuus fiet. haec ratio breuis est, & ex-
 pedita cognoscendi quenque statum. nam,
 quod ab alijs quaeritur, an omnia capita
 cuiusque status ad singulas quaestiones expli-
 candas adhibenda sint, nihil habet difficul-
 tatis. nam vt non omne nomen omnibus litte-
 ris scribendum est, sic nec singulae quaestio-
 nes omnibus capitibus explicandae. sed
 quae capita cuique conueniant, id totum est
 pruden-

Cicero
 de inuen
 lib. I.

prudenciae. vt in coniecturali, si crimen non
 intendatur ex ijs, quae reus commissit, sed
 ex ijs quae alij fecerunt, nullus locus relin-
 quetur absolutioni: vt si quispiam accuse-
 tur proditionis, quod hostes illi statuam po-
 fuerint. illud autem, quod saepe indicaui-
 mus, hoc loco apertius explicandum est, pos-
 se singulos status dilatari alijs interpositis
 statibus: vt illud supra propositum in statu
 absoluto de pictore producet longius, si
 inseratur illa coniecturalis quaestio, *an cessa-
 verit navigatio propter metum naufragiorum,
 quae iniuriebat conuagantibus stabulae illae pictae*.
 idem est de ceteris statibus existimandum
 neque etiam illud praetermittendum, quod
 supra quoque aliqua ex parte monuimus,
 assumptiuos status posse contrarijs sen-
 sibus accommodari: vt ad compensatio-
 nem illud referri posse videtur, quod
 causa deterioris factum est, id iniquum est,
 ad relationem criminis illud tanquam con-
 trarium, & plenum honestatis, bene de no-
 bis meritis nos gratiam referre debere. ad
 remotionem vero criminis exempla om-
 nia reuocari posse videtur: hinc illud, *iure
 fieri, quod exemplo fiat*. sic & ad concessio-
 nem pertinere dici potest, si quid recti a no-
 bis fiat propter aetatem, animi perturbatio-
 nem, aut aliquam aliam causam, quae imperium
 in

in nos habeat: vt propter dominum. eadē
 ratione videtur & capita statuum legitimo
 rum propria posse transferri ad interpre-
 tandum locum alicuius scriptoris, aut cum
 de locis inter se repugnantibus incidat dis-
 putatio, vt quaeramus, quod sit consilium
 auctoris, cur illud nō ascripserit, sit ne per
 inde, atq. si ascripisset, & alia huiusmodi.
 ita methodo ratiocinationis ex ijs, quae le-
 guntur apud scriptores, videntur elici posse
 se ea, quae nominatim non leguntur. illud
 autem prudentiae cuiusdam singularis est,
 cum caput aliquod ex ijs, quae in aliquem
 statum incidere solent, desit, nosse quid lo-
 co illius reponi possit: vt initio assumptio-
 rum, si crimen praesertim publicum sit, ha-
 bet locum definitio inter praescriptiones:
 sed cum desit, neq. caput habeat circumstā-
 tiam, monet Metrophanes, vt in compen-
 satione vtamur loco illius hac praescriptio-
 ne: *quid autem istud est? in iudicium vocor,
 quod beneficium dederim?* Sic etiam, cum con-
 silium legislatoris in causam propositam
 cadere non possit, quod desit in ea re lex,
 admonet Sopater eius loco adhiberi il-
 lud posse, quod consilium fuerit eorum,
 qui illud, de quo agitur, fecerint. quod de-
 clarat ille hoc exemplo: *lex erat, vt qui myste-
 ria Cereris enunciaisset moreretur,* quidam in
 somnis

Sopater.

In diuis.
 quaestio.

*somnis mysteria viderat, rogaueratq. unum ex
 initiatis, an illa essent: qui cum annuisset, accusa-
 tur qui annuerat, impietatis.* in hac causa dispu-
 tabit reus ex incidenti definitiuo statu illū
 qui in somnis viderat mysteria, initiatū quo
 que esse. in quo exemplo, cum profus desit
 legislatio, pro mente, & voluntate legistato-
 ris adhibebit illud, *considerandum esse, quod cō-
 silium fuerit diuinum, cum in somnium illud ei,
 qui ignorabat mysteria, immissum esset.* sed de
 statibus nimis multa. reliquum est, vt doce-
 mus, cum haec disputatio ceteris obscurior
 sit, vbi suppetet nobis copia magna exem-
 plorum. orationes Graecae, eam largientur,
 quae extant decem oratorum Isaei, Isocra-
 tis, Demosthenis, Aeschinis, & aliorum, sed
 potissimum illae Lyfiae, quae quod breues
 sint, facile comprehendi possunt: ex Latinis
 nihil copiosius orationibus Tullianis. ha-
 bes etiam declamationes Graecas Aristidis,
 Polemonis, Himerij, Libanij, & aliorum,
 Latinas vero Porcij Latronis, Quinctilia-
 ui vtriusque, & aliorum. sed nihil vtilius di-
 uisionibus quaestionum Sopatri, in quibus
 capita singulorum statuum, cum adhiben-
 tur, suis nominibus notantur. quod & in cō-
 mentarijs Graecis Demosthenis factitatum
 videmus. qui se in horum exemplis conti-
 nuerit, facile veteres scriptores, quae tertia

K erat

erat exercitatio a Theone proposita, imitabitur. quod si duo genera exercitationum posteriora, quae & grauiora sunt, & acrius iudicium desiderant, persequi volueris, habes declamationes Senecae, quibus nihil ad hoc studij genus aptius, nihil accommodatius. in illis enim posita quaestione explicatur, quid in contrarias partes a singulis scriptoribus, ijsq. clarissimis, & Graecis, & Latinis afferretur, iudiciumq. de illis interponitur aliquando a Seneca grauissimum.

hactenus de statibus.

(.)

PET.

PET. IOHAN.
NUNNESII VALENTINI
INSTITVTIONVM Rhetoricarum
Lib. III.

De inuentione, ac primum
de exordijs.



Ab soluta disputatione de statibus, exponenda ratio est, quae partes orationis, quae tanquam inuolutae latent in capitibus statuum, & generis demonstratiui euoluantur, atque distincte explicentur, & quam longissime fieri poterit, pro natura causae, & quatenus facultas inuentionis patitur, producatur. Partes igitur orationis necessariae quidem duae tantum sunt propositio, atque eius confirmatio, ut docet Aristoteles, ad summum tamen quattuor: quod & Isocratici tradiderunt exordium, narratio, confirmatio, & peroratio. nam si quae aliae afferuntur ab artium scriptoribus, ad has sunt reuocandae: ut refutatio, quod est vulgo notum, ad confirmationem, & catastasis illa,

Libr. i.
Rhe.

K 2

quam

In arte.
Rhet.

Libr. 3.
Rhet.

quam Apfines inter exordium, & narationē nouo, neq. necessario, vt videtur, inuento collocavit ad exordia omnino referēda est. de exordio itaque, quod ratio ordinis postulare videtur, primo differendum est. cuius, vt ait Aristoteles, praecipuum munus est docere, quod sit institutum nostrae orationis: quod & Plato aperte declarauit in libris de Repub. ex quo efficitur non eodem modo in omnibus causis exordiendum esse: vt in causa breui, & expedita non est opus exordio, nisi tantum ornatus causa, ne oratio sine capite videatur: propter quam etiā causam neq. in deliberatione videtur magno opere necessariū: cum intelligatur, quid sit id, de quod sententia dicenda sit, neq. itē in secundis actionibus, aut orationibus. sed cum adhibendum sit, quale esse debeat in genere demonstratiuo, explicatum est in progymnasmatibus, cum de laude disputaremus: non parua tamen fieri potest ad illas praecipiones accessio, vt etiam ad illa, quae de partibus exordij in iisdem progymnasmatibus docuimus. ac primum quidem exordij duae partes sunt magis propriae, & necessariae propositio, & redditio: quas in disputatione de fabula indicauimus, quattuor tamen ad summum eas esse posse placuit Hermogeni, vt sint propositio, eius confirmatio,

tio, redditio, siue petitio, atq. eius ratio. ex his autem partibus redditio explicat, quod sit nostrum consilium, aut institutum: vt, *dicerendum est mihi de laudibus Pompeij, accessi ad hūc hominem accusandum, aut defendendum.* Sed quoniam plerunq. fit, vt dum institutū nostrum proponimus, aliquid a iudicibus, aut ab auditoribus petamus, vt, *peto a vobis, vt me de laudibus Pompeij dicentem, attente audiatis*, propterea petitio nominatur, redditio vero, quia propositioni respondet, & quasi illi debita redditur. nam propositionis illud proprium est, vt causam susceptae orationis exponat, quibus illa d tanquam debitum, & iustum refertur, vt hoc munus orationis suscipiamus. hae quattuor partes in exordio primo Licinianae distinctae cognoscuntur. etenim propositio illa prima erit, *omnem facultatem bene dicendi, atq. eius fructum potest a me iure Archias repetere*: quae prima periocha eius orationis continetur. ratio vero propositionis, *quia is primus me literas humaniores docuit*, quam etiam expressit M. Tullius secunda periocha eius exordij. redditio his verbis concipi poterit: *quare statui Archiam defendere. cui addi etiam poterit haec ratio, & quasi exordij conclusio, ne in eum a quo tot. tantaq. beneficia accepi, ingratus videar.* Hae quattuor partes non leguntur

leguntur ita distinctae in exordio Tullianae orationis: quia aliud est rhetorem, aliud oratorem esse. orator enim simulat, quoad potest artem, ac praesertim in exordio, ne initio statim suspectus auditori sit, rhetor vero praecepta artis, quam planissime fieri potest, distinguit. in exordio tamē eius pro Marcello videntur haec quattuor partes, a M. Tullio explicari: propositio quidem cum incipit, *Diuturni silentij P. C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, sinem hodiernus dies attulit: idemq. initium, quae uellem, quaeq. sentirem, meo pristino more dicēdi.* deinde sequuntur rationes variae, quia multiplex quoque erat propositio. primū igitur affertur ratio, cur ille dies finem silentij attulerit M. Tullio: *tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamq. &c.* tum ratio huius rationis exponitur, *M. enim Marcello uobis P. C. rei publicae &c.* sed haec ratio ad confirmationem quoque propositionis referenda est. deinde profert rationes, quibus confirmat dolorem, & verecundiam ei causam silentij attulisse: quod item in propositione exposuerat. *dolebam enim P. C. & uehementer angebar, & quae sequuntur.* has partes sequitur redditio propositioni, & primae rationi magis accommodata, *ergo & mihi, & meae*
pristi-

pristinæ uitæ consuetudinem C. Caesar interclusam aperuisti, & his omnibus ad bene de re-pub. sperandum, quasi signum aliquod extulisti: ad extremum ratio huius redditionis proponitur: intellectum est enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipso &c. si cui autem ex disputatione de fabula scrupulus aliquis iniectus est hoc loco, quod ibi propositiones a nobis viderentur appellari, quae sunt potius rationes redditionis, is intelligat non eadem subtilitatem a rhetore, atq. philosopho expectandam esse. propositionem certe videntur, qui ista tradiderunt, appellasse eam partem exordij, quae viam, & quasi fores aperit ad id, de quo dicendum est, siue ea rationem instituti, siue quid aliud complectatur. videndū hoc loco est, unde, & qua ratione magna propositionū copia suppetere possit. illud tamen considerandū est, non omnes exordiorū propositiones directo spectare ad id, quod in oratione propositū est. quae enim sunt contra nos, plerūq. occupanda, & diluendā, quae in animis auditorū, aut contra eos, pro quibus dicimus, aut contra argumenta susceptū residēt, aut possūt excitari. ita M. Tullius in exordio eius pro Sex. Roscio dissoluit, quod illi obijci potuisset, de imbecillitate aetatis, ingenij, & auctoritatis. hoc gen^o exordij vide-

tur commode nominari posse obliquum, vt illud alterum quod directe spectat id, quod propositum est, rectum ita in exordio Liciniana duo sūt procemia, vt Graeci loquuntur: vnum rectum, quod supra expositum est, alterum obliquum, quo satisfacit illi dubitationi, quae potuit alicuius animum offendere, quid oratori cum poeta, cū inquit: *ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur &c.* quin & tertium legitur in eodem exordio, sed obliquum item de nouo genere dicendi his verbis: *sed, ne cui vestrum mirum esse videatur &* quae sequuntur. obliqua exordia deteguntur saepe verbo mirandi, atq. ijs vocabulis, quae illi finitima sūt: vt apparuit in exemplis superiorib. quāquā possunt alijs etiā verbis concipi. huic generi exordiorū tātū tribuit Dionysius Halicarnassicus, vt omnē vim exordii in eo vno videatur collocasse. et certe permagni interest, qualis sit ingressio prima nostrae orationis, vt ab auditorib. recipiamur. Exordia recta diuidi iterum possunt, vt aut propria dicantur, aut cōmunia. Propria quidem, cū propositiones, aut rationes redditionis magis propriae videbuntur: quod est maxime in exordio laudandū, quale est primū illud exordium Liciniana. nā etsi eius propositio videtur ad alios magistrus, quib. vsus est M. Tullius, transferri pos-

In arte.

se, tamen ratio quae illam confirmat, eam eius causae propriam reddit. communia autem exordia dicentur, cum propositiones, aut rationes earum, & redditionum ad plures orationes accomodari posse videbuntur: quale illud vulgo tritum, *accessi ad dicendum, vt me exercerem.* hoc genus raro adhibendum ab oratore, aut certe alijs generib. obruendum, vt cum alia genera exordiorū adhibuerit, hoc ad cumulum accedat, aut ex communitate sensim, & quasi gradatim delabendum ad id, quod proprium est: exemplum prioris tale erit, non perpolitū quidem, quod est magis elocutionis, sed rude & inchoatum: *cum a gymnasiarcho nostro clarissimo mihi imperatum esset, vt orationem de laudibus Philisophiae, quae ineunte anno dici solet, haberem: quod vnus omnium ad hoc munus suscipiendum maxime accomodatus illi viderer teneri non potui, quin ad dicendum hodierno die apud vos prodirem: accedit etiam huc ille maximus fructus, vt meam facultatem dicendo exerceram.* posterioris exemplum erit huiusmodi: *accessi ad dicendum, vt doceam, quantum profecerim in hoc studio dicendi: cumq. tria genera causarum sint, in exornatione prius exerceri cupio, quod sit ceteris multo facilius. et quoniam multa genera rerum laudari possunt, personarum laudem potius mihi proposui, quod utilior ad exem-*

plura videntur. Sed cum multarum gentium homines clarissimi occurrerent, ex Graecis quendam elegi, quod illi studia litterarum cum virtute magis, quam ceterae nationes coniūxerint. His ita positus, ad exordia obliqua inuenienda aptissima erit illa disputatio, quae exposita est in statibus de ratione opponendi, & dissoluendi oppositiones: cum exordium obliquum nihil aliud esse videatur, quam oppositio soluta. neq. aliam rationem videtur Aristo. indicasse, cum de his accurate disputat. ita M. Tullius in ea pro Sex. Roscio, cū illi obijci possent ex capite illo negotialis, quod fieri potest, infirmitas aetatis, imbecillitas ingenij, & auctoritatis, diluit illa per antiparastasis, & assumptio statu concessionis: quasi dicat, *sunt ista, ut dicitis, aut existimare de me potestis, sed facere aliter non possum: quia ceteri, qui valent ingenio, & auctoritate ad dicendum non surgunt, tum etiam quia hoc mihi imperatum est ab ijs, quorum ego auctoritatem nō possum aspernari.* neq. vero omnia exordia obliqua in hanc rationē cadere posse videntur, qualia illa sunt, quae insinuationi a M. Tullio attribuuntur: ut cū defessi sunt audiēdo illi quos audire oportet, aut cū ab ijs, qui ante dixerūt quidam auditori persuasum videtur. nam si qua offensio ex turpitudine causae contrahatur,

Libro. 3.
Rhet.

de inuē.
Libro. 1.

trahatur, ad superiorem rationem uidetur posse referri. si igitur aduersarius videbitur fidem fecisse, oportet in exordio, aut de eo quod aduersarij firmissimum putarint, & quod maxime auditores probarint, primū te dicturū polliceri, aut ab eo, quod nuper dixit, exordiri, aut vti dubitatione cum admiratione, quid primum dicas, aut cui potissimum loco respondeas. si autem defessi fuerint audiendo, dices te breuius quā paratus fueras, dicturum, promitte sq. te prolixitatem aduersarij non imitaturum, aut certe ab aliqua re noua, aut ridicula exordieris, siue ex tempore tunc nata sit, siue parata domo afferatur, quanquam illud melius. tale erat illud exordium Demosthenis in progymnasmatibus explicatum de vmbra atheniensi. talia ex naratiunculis ridiculis peti possunt, ut si dignitas rei id non patietur, ex naratione rei alicuius tristis, nouae, horridae. nam quod a naratione possimus exordiri, dubitandum non est, cum vna oratio M. Tullij de haruspicum responsis satis ei rei fidem faciat. illud vero quod additur in hoc genere ab Aristotele posse nos exordiri ab accusatione calumniae ad illa, quae exposita sunt in progymnasmatibus pertinet. et enim aut vt sententia poterit explicari, aut vt vituperatio, aut vt thesis, aut, quod certius

Libro. 3.
Rhet.

tius est, tanquam vituperatio thetica: qualis est illa, quae legitur apud Isocratem in oratione, qua respondet maledictis Sophistarum, & aduersariorum. neque vero a superiori methodo alienum est alterum illud, quod ab eodem Aristotele adiungitur, ut, qui in exordio aduersarium criminari velit, laudes illius minuat vituperationibus. nam perinde est, atque si per antiparastasin aperte diceret, ut ista in te laudanda sunt, illud tamen quod multo grauius est, omni vituperatione, & odio est dignissimum. sed quia de ratione inueniendi exordia obliqua satis disputatum, rationem nunc aliam breuem, & expeditam ad omnia genera exordiorum inuenienda proferamus. sed prius illud admonere oportet, magnam exordiorum ubertatem ex ijs, quae de usu singulorum progymnasmatum differuimus, parari posse. habent enim singula fere locum in exordijs, etiam quae ab exordij natura disiuncta videntur: ut pro popo-
 pocia, qua refert Quintilianus usum fuisse Ciceronem in exordio orationis pro Scario. quae nota quidem cum sint, ad alteram methodum pergamus. Loci igitur laudationis, qui vniuersam personarum qualitatem continent, & capita propria status negotialis, magnam exordiorum copiam suppeditabunt. ex locis laudationis est illud pro Ra-
 birio

Libro. 4

birio Perduellionis reo, & dignitatis meae, & humanitatis ratio, atque etiam mea consuetudo ad Rabirium defendendum est adhortata. ex capitibus vero status negotialis: a legitimo, ut pro domo sua, cum multa sunt diuinitus instituta, atque inuenta a maioribus nostris, &c. aut ex consuetudine, ut secunda Agraria, est hoc in more posuimus, institutoque maiorum &c. ex aequo ac compensatione, ut prima Verrina propter salutem reipublicae suscepi Verrem accusandum, ex relatione criminis, aut gratiae, ut pro Archia, si quid est in me ingenij &c. ex remotione criminis propter exempla, quanquam Fortunatiano exordium ab exemplo non magnopere probatur: ut, quia vidi ceteros meos condiscipulos amplissimum nomen ex hoc genere exercitationis comparasse. ex concessione, ut illud, quod supra proposuimus ex ea pro Sex. Roscio, & illud vulgo usurpatum, parendum esse imperio doctoris. aut ex affectu, quia incensus sum amore, & studio huius exercitationis, teneri non potui, quin aliquid in eo ederem. ab utili, tot, tantaque sunt huius rei utilitates. a glorioso, quia ea res magnam affert dignitatem. ab eo quod fieri potest, ut secunda Verrina: quod erat optandum maxime iudices, &c. sed quoniam haec ratio quauis breuis, & facilis latissime patet, & fieri potest aliquando ex capitibus
 praeser-

Libro. 2

praesertim, quae pertinent ad finē, vt sententias potius epilogis, quā exordijs congruentes reddamus, quod non est magno opere probandum. quaerenda alia via, & methodus magis propria, per quam exordia cuiusq. causae possint inueniri. neque vero alia potest congruentior excogitari, quam quae est ab Hermogene inuenta, quanuis eius interpreti anonymo non omnino satisfacit: quod illi deesse videantur, quae ab Ap sine adduntur, longeque esse utiliora inuenta Ap sinis, quam Hermogenis. iudiciū tamen Doxapatri magis probo: qui cum rationem Hermogenis approbasset, vidit eam non solum forensibus causis, verum etiā panegyricis, & vno verbo omni generis causarum posse accommodari. quin & genera ista noua exordiendi ab Ap sine addita, si quis velit attēdere, sentiet ad hanc rationem quam facillime referri posse, praesertim si paullo altius, & quasi a capite tota haec oratio repetatur. si quis igitur exordia quā expeditissime, & maxime suae causae accommodata, atque multa velit inuenire, cū ex superiori disputatione capita propria suae causae, & firmissima probe nouerit, consideret primum, vt ait Quintilianus, singulas circumstantias, quid scilicet dicere velit, apud quos, pro quibus, contra quos,

In arte.

Lib. 4.

quos, quo tempore, quo loco, quo rerum statu, qualis ipse, qui ad dicendum accedat, singularumque circumstantiarum qualitates attente animaduertat, vt bona ne res, an mala sit, de qua dicturus, alienum ne tempus, an opportunum, quo dicturus, quales personae singulae, quod fiet commode ex locis laudis, & vituperationis, quae causae interfunt, aut illam aliquo modo attingunt. ex his intelligetur, quod sit omnium de his iudicium, quae existimatio, quae vulgi fama. ex his praeterea cognoscetur, qui sint singularum personarum affectus, quo propendeant, in quam partem facile flecti possint. vt si res bona sit, de qua dicturi sumus, atque talem esse iudicent auditores, eam certe amabunt, si bene audire velint, laetabunturque eorum oratione, qui illam rem laudare, aut defendere instituerint, & infensissime irascentur eis, qui illam insimulare, aut vituperare cōantur. hinc foetus vberimus existet exordiorū. ex his fontibus manant omnia genera exordiorū: sed quattuor tantū obseruauit ex tāta multitudine Hermogenes, fortasse quod his cognitis cetera facile percipi posse, & inueniri arbitraretur. sunt igitur quattuor haec genera exordiorū ab opinione vnum, alterum a subdiuisione, tertium ex abundantia, extremū ab occasione: quan-

quanquam fieri posse videtur, vt tria posteriora ad genus illud exordiorum ex opinione reuocentur: sed quoniam facilius intelligētur, si separatim doceantur, & vberiorē copiam exordiorum, atq. expeditiorē largientur, de singulis per se Hermogenis exemplo differemus.

De exordijs ex opinione.



X opinione igitur personarum existunt exordia: quae ducentur aut a persona auditorum, aut aduersariorum, aut oratorum, aut litigatorum, aut a personis alijs externis, sed quae aliqua ratione causam possint adiuuare. si igitur auditores laudabiles fuerint, quales fere orator videri vult, & res, de qua agitur, bona fuerit, necesse est & bonam ab illis existimari. ex qua opinione laetitia eos consequetur, si eam rem laudari, aut defendi ab aliquo audierint. hinc multi sensus congruentes exordijs elici poterunt. vt, *cum videam vos vehementer hac re laetari, gratiasq. Deo Opti. Max. agere, quod isti grassatores in magistratus potestatem venerint.* hic vides gratiarum actionem comitem esse laetitiae. ita licebit & a gratulatione exordiri, & ab alijs sententijs, dum cae
res

res proferantur, quae sint laetitiae adiunctae aut ex illa proficiantur: vt, *gratulandum in re vestrae reipublicae, auditores, quod y contigerint illi ciues, qui frequentissimi accedant ad eos audiendos, qui rectum aliquid, aut honestū proferre statuunt.* neq. vero a nobis hoc loco requirendū, vt exempla politiora afferamus: nam, vt alibi monuimus, non est hoc munus inuentionis, sed elocutionis, de qua postea disputabitur. ex vno igitur affectu laetitiae, & ex vna opinione bona auditorum de re proposita, vides multas, & varias propositiones sumi posse: quas sigillatim persequi non est necesse, ne plus iusto progrediamur. poterit enim quisque nisi sensus sit expertus, & consilij, facile ex singulis capitibus multa genera propositionū proferre, idq. in omnigenere causarum, non in forensi tantum. quare exemplo Hermogenis monstremus tantum fontes, ex quibus ista hauriri possint. si igitur res mala fuerit, de qua dicendum, vt de caede alicuius, necesse est auditores aut dolore, aut misericordia, aut vtroq. affectu commoueri. hinc illae propositiones, *credo vos vehementer indignatos fuisse, cum hoc factum crudelissimum audissetis, & arbitror vos misericordia fractos cognita huius hominis calamitate.* hoc genere exordij videtur M. Tullius vsus in ea pro Sylla. v-

trunque affectum sic coniunges, credo vos, in
dices, & insensissime iratos ei, qui tam taetrum
facinus commisit, & misericordia commoveri
huius miseri & calamito, cui tantum vulnus
iniuria inflictū. laudari quoq. auditores pos-
sunt, cum id fiat sine assentatione siue res
bona, siue mala proponatur: quod facit ple-
runq. in exordijs M. Tullius, vt explicatum
est in disputatione de laude. in quo semper
illud enitendum, vt nostram orationem ad
mores, & sensus auditorum accommode-
mus: vt si mites, & clementes fuerint, eorum
misericordiam initio laudabimus. si quem
infortunatum defendēdum susceperimus.
quod si nobis eorum mores, & affectus ad-
uersabuntur, mitigabimus eos pedetentim,
oppo nemusq. initio aliquem ex contrarijs
affectibus: sed ita, vt strictim tantum eos at-
tingamus, quod est exordijs maxime con-
sentaneum. nam in peroratione licet affe-
ctus effundere. sed iam ad aduersariorum
personam veniamus. ex aduersarijs igitur
poterit in nobis aliqua inuidiae suspicio,
aut simultatis excitari. ac inuidia quidem o-
mnino negāda. vnde existet haec propositio
*non quod inuideam gloriae Pompey ad legem
Maniliam dissuadendam accessi.* simultas etiā,
quoad possis, dissimulanda, praesertim si
ea geratur cum principe viro, aut eo, qui
bene

bene meritus de republica sit: quo loco cō-
fugiendum ad salutem reipub. quod facit
saepe in accusationibus M. Tullius cum di-
cit, se non simultatis, non inimicitiarum
causa, sed propter salutem reipub. ad Verrē,
aut alium accusandum accessisse. quod si
causae irarum, & odij iustae, & debitae vi-
deantur, potest orator aperte fateri se odio
tot, tantorumque flagitiorum adductum
ad eum insectandum fuisse. cuius proposi-
tionis exemplum certissimum erit exor-
dium interrogationis Vatinianae. alia etiā
aduersariorum qualitas poterit exordien-
di facultatem nobis dare, vt si potentia, si
gratia fuerint nobis superiores, in inuidiā
rapiantur, nostraq. impar condicio audito-
res eo adducat, vt nostri misericordia ca-
pianur: tale est totum fere exordiū. *Quin-
ctianae.* iam vero ad oratores etiam illa per-
tinent, ne videantur commodi tantum sui
causa, aut ambitionis orationem, aut de-
fensionem aliquam suscepisse, aut gratia,
aut pecunia corrupti. quae omnia initio
depellenda: vt, *non commodi mei causa, aut,
vt gratiam huius inirem, huius causam, patro-
ciniumq. suscepi.* quod si causae officij, & ne-
cessitudinis iustae fuerint, libere proponē-
dae: vt facit M. Tullius in exordio eius pro
C. Rabirio perduellionis reo. quod ad

litigatores, aut eos, quorum res agitur, pertinet, si quae de illis bona opinio fuerit confirmanda, ut in Maniliana, *illud mihi iure laetandum video, oblatam esse causam, in qua nemini oratio deesse possit* &c. si autem mala fuerit, euellenda, aut certe confirmanda, si nobis uel sit, ad extenuationem, aut ad misericordiam colligendam: ut in Quintiana opinionem de inopia, & tenuitate Quintij M. Tullius confirmat. haec ratio ualet in comune in orationibus, in argumento quoniam suscepto, ut quaecunque auditorum de his existimatio nobis nocere posse uideatur, initio conuclatur, quae prodesse possit, confirmetur. ita M. Tullius initio Manilianae se purgat, ne uideretur populum Romanum contempsisse: quia adhuc in eius conspectu nullam orationem habuerat. eadem ratione, si quae bona de his existimatio fuerit, confirmanda, & quod reliquum uideatur, & facile ex his percipi potest, si quae mala opinio auditorum de aduersarijs fuerit, confirmanda, si quae autem bona, paenitentiae euellenda. quarum propositionum facilis est excogitatio, & multa earum exempla passim occurrunt in exordijs orationum M. Tullij. ultimum genus est personarum externarum, siue hostes sint, siue socij, siue necessarij, siue amici. in quibus spectandum, quid in ea re

de qua

de qua agitur, illi maxime uellent. ex quo sequentur affectus exordijs accommodati: ut, *maxima laetitia afficientur hostes, cum audierint nos ita negligentes esse: quare aequum est ut diligentiam adhibeatis.* quale etiam illud esset: *maxima molestia afficientur socij uestri, & amici cum intellexerint vos ita animatos esse.* quare decet nos alia mente esse. simile hoc est Nestoris apud Homerum, quod dicit Agamemnoni, & Achilli, *gaudebunt certe Priamus, atque eius filij, cum audierint vos contendere.* sed de personis, & rerum qualitate satis. neque uero dubium est, quin locus, & tempus, & ceterae circumstantiae uiam ad exordium possint eodem modo aperire: praesertim si earum qualitates spectentur: ut in tempore diurno, nocturno, die festo, profesto, nefasto, cum pestis grassaretur, tempore messis, uindemiae, cum togam uirilem sumisset, cum damnatus esset: sic in loco sacro, an profanus, publicus, an priuatus, eius interuallum prope, longe, qualitas post, ante, quantitas angustus, latus. hinc illud exordium Coelianae, quod die festo illud unum crimen in iudicium ueniret. hinc illud Manilianae, quod in eum locum nunquam antea prodisset. hinc tandem illud pro Deiotaro, aut, quod certius est, ex multis circumstantijs. nam in eo & ex persona

L 3

eius,

Iliad. i.

eius, pro quo dicit, metus iniicitur Cicero ni, & ex persona aduersariorum, & iudicis, atque ex loci solitudine. ab Hermogene autē videntur ceterae circumstantiae praetermissae, quod ad res, & personas referri posse videantur, vt in illo Manilianae perspicuū fiet. nam quod non prodierat ad eum vsq. diem in concionem, videbantur Quirites male de eo existimaturi, quasi eos despiceret, quae opinio ex animis eorum primum euellenda erat. Haec est ratio inueniendi exordia copiosissima: quae in vno, & eodem argumento multa exordia, neque ea vulgaria, aut exilia suppeditabit, si quis diligēter animaduertat omnem circumstantiarum, ac praesertim rerum, & personarū varietatem. vt in Maniliana auditores Quirites gloriae appetentes, & studio audiendi Ciceronem inflāmati, aduersarij Lucullus, contra quē agitur clarissimus imperator, atq. eius duo patroni Hortensius, & Catulus principes viri, is de quo agitur Pompeius, cuius studiosissimus semper fuerat M. Tullius tūc praetor, atq. eius patronus. hinc illa in extrema oratione, quae sententijs exordiorum mirifice conueniunt, *me hoc neq. rogatu facere cuiusquā, neq. quo Cn. Pompeij gratiam mihi per hanc causam conseruari putem, neq. quo mihi ex cuiusquā amplitudine &c.* accedunt ad has persona

persona Manilij tribuni, qui legē eā tulerat, & personae sociorum, atq. exterarum gentium, & hostium, quarum, quae fuerit de Pompeio opinio, & de imperio Romano, facile ex multis locis eius orationis colligi potest. licebit igitur ex his multa exordia ei orationi accommodata praeter duo illa, quae attulit M. Tullius, excogitare. quod facile fieri poterit exemplo superiorū. multo vero plura poterunt inueniri, si cetera genera exordiendi attente, & diligenter cōsiderauerimus.

De exordijs ex diuisione.



Exordia igitur ex diuisione, & quae supersūt reliqua duo genera, licet in omnibus causis inueniri nō possint, afferūt tamē magnā ad excogitāda varia exordia vtilitatē, omnibusq. generibus causarū sunt accommodata. ac ex diuisione quidem tribus modis fieri possunt. Primo cum docemus, non solum propter id, quod nobis propositum est, verum etiam propter aliud persuaderi debere auditores: vt, *si grassatores villas tantum incendissent, aequum erat eos a vobis quā grauissime puniri, nūc, cū & agros vastarint*

ecquis illos insensissimo odio non prosequetur? sic in exornatione, cum propter singularem probitatem dignus est hic, qui ab omnibus laudetur, tum propter magnam, & praestantem omnium artium intelligentiam. secundo modo fiunt exordia ex diuisione, cum rem ipsam, & quod antecelsit eam, proponimus: ut, cum ob anteaactam vitam, quae omni genere flagitiorum fuit contaminatissima, dignus quouis supplicio iste vobis videri debet, tum propter hoc inauditum crimen, cuius hodierno die illum accusare institui. quod poterit quam facillime transferri ad cetera genera causarum: & propter anteaactam vitam, quam honestissime traduxit, omnium praedicatione hic celebrandus est, & in primis propter eas res praeclare gestas, quas hodierno die persequi statui. tertio fiunt haec exordia ex eo quod instat, & ex consequenti: ut, cum propter facinus, quod nuper commissit, plectendus a vobis est, tum ne in aliud par, aut maius crimen incurrat, vobis providendum est: eodem modo in deliberatione: cum propter ea, quae acciderunt, in hanc causam vobis incumbendum, tum propter ea incommoda, quae impendent. sententiae autem istae rudes exordiorum, quod saepe monuimus, expolientur, cum ad rationem elocutionis ventum fuerit. nunc ad cetera nostra oratio progrediatur.

De

De exordijs ex abundanti.



Xordia ex abundanti dupliciter fieri possunt. primo si dicamus nos de maiori re dicere posse, sed hac contentos esse: ut, potuissem hunc grauioris criminis accusare, leuius tamen tantum persequar, ne infenso animo in illum dicere videar. sic in laudatione: etsi maiores huius laudes dicendo complecti poteram, tamen, quia illae omnium oratorum facultate longe superant, has tantum minores attingam. hoc genus exordij in omni genere causarum potest adhiberi, atq. etiam in progymnasticis, cum per se exercentur. secundo cum dicimus in exordio aliquid praeter opinionem nobis accidisse: ut, cum sperarem, ut hic praemio a vobis afficeretur, nunc miseri illius causam, defensionemq. suscipio. hoc genere usus est M. Tullius pro Flacco eodem modo in deliberatione: putabam fore, ut gratias vobis agerem, quod hunc his rebus praeposuissetis, nunc autem video habendam mihi orationem, qua vos cohorter, ut illum tantis rebus praeficiatis.

De exordijs ab occasione.

L 5

Ultima

Vltima ratio exordiū simplex quidē, & vna, quae raro cōtingit, sed omnium praestantissima: cū id, quod in redditione petere instituimus, in animis auditorū quasi occupatū. videtur: vt, *video vestris omnium suffragiis hunc rerū satis absolutū esse, cū omnes iudicetis eum indignum esse istis contumeliis, quibus antea vexatus est. quare neque vobis multum molestiae in hac causa exhibendum, neq. mihi multū in ea negotij sustinendū erit.* sic in exornatione: *video in animis vestris penitus insitā magnā, & honestissimā de huius virtutibus, & laudibus opinionē, vt non sit mihi necesse longā de illis habere orationē.* potest etiā huc referri, cum diuino iudicio ante id monstratū fuisse videtur: vt, *cum videam ex his, quae portentis diuinis, prodigijsq. praedicuntur, hunc iudicio diuino satis condemnatum, non dubito, quin vos vestris suffragiis sitis eum condemnaturi.* habet aliquid huius generis exordium secundae Verrinae.

De exordijs in commune.

Haec sunt genera exordiorū ab Hermogene reperta: in quibus multū est praesidij ad omne genus exordiorū excogitandū. ad quae

quae videtur posse reuocari, si quae sunt ab alijs inuenta: vt ab Apfinc, qui plura, quam ceteri videtur addidisse. ex his autem locis propositiones exordiorum magna ex parte suppetent. neq. vero ceterarum partium copia ei deesse poterit, qui ista attente considerarit. nam cum initium, & quasi caput exordij tenueris, facillimum est cetera inde ducere: praesertim cum & propositionū, & redditionum rationes, immo omnes rationes rhetoricae Hermogenis iudicio ex iisdem generibus circumstantiarum, & earum qualitate repetantur, aut certe, quod expeditissimum est, ex capitibus, quae ad finem pertinent. nam in redditionibus inueniendis nulla est obscuritas. aut enim illud proponimus, quod volumus impetrare: vt, *aequum est, vt vos hūc absoluatis,* aut id, de quo dicere statuimus, idq. fere quattuor modis: vt aut rem communiter tantum proponas: vt, *dicendum est de laudibus Pompeij,* aut separatim partibus suis distinctā, vt, *agendum est de scientia militari, de virtute, de auctoritate, deq. felicitate Pompeij,* aut ordine partium exposito, vt, *disputandum primum est de militari scientia, deinde de virtute, tum de auctoritate, & ad extremum de eius felicitate,* aut addito certo modo, vt breui, & distincte disserendum est de eius rebus praecclare gestis.

omnes

Libro. 3.
de inue.

omnes hae redditionum formae frequentif-
 simae in orationibus Tullianis, vt illae etiã
 in quibus postulamus, vt nos attente audire
 velint: vt, *vos oro, obsecroque, vt me attente,
 benigneq. audire velitis.* fieri autem potest
 vt vna redditio tanquam alterius redditio-
 nis ratio afferatur: vt huius posterioris,
 qua attentionem petebamus, ratio haec
 proponi posset: *dicendum est enim de laudi-
 bus philosophiae.* quanquam haec non est tã
 illius ratio, quam, quod deinceps adiungi-
 tur: *quae, cum probe a vobis cognitae fuerint,
 maximum afferent adiumentum.* neq. vero
 quattuor istae partes in omnibus exordijs
 explicandae, neq. semper eodem ordine. in
 exordijs orationum forensium tres ad sum-
 mum solent adhiberi, in panegyricis vero,
 quae ad ingenij ostentationem magis com-
 parantur, omnes quattuor. exordia possunt
 dilatari, si multae propositiones in quoq.
 exordio afferantur, & singularum propo-
 sitionum, & redditionum multae rationes,
 atq. etiam rationum confirmationes: vt pa-
 tuit in exordio eius pro Marcello, ne plu-
 ribus exemplis congerendis molestus sim.
 possunt etiam longius produci exempla, si
 multa exordia initio orationis proponan-
 tur: tametsi neq. nimium multa adhiberi
 debere placet Fortunatiano, nisi forte cum
 insinua-

Libro. 2.

insinuatione vtendum fuerit. M. Tullius
 in Maniliana duobus contentus, in Licinia
 na tertiũ adhibuit. quod autẽ requiri a no-
 bis praeterea posse videtur, vt Isocratici do-
 cẽt, qua ratione attentos, dociles, & beniuo-
 los auditores in exordijs, in quibus maxime
 ista expetuntur, reddere possimus, id bre-
 ui expediemus. dociles fient illis generibus
 redditionum, quae supra exposuimus. at-
 tenti ex capitibus status negotialis: vt si di-
 camus nos de rebus magnis, quaeque ad
 illorum vtilitatem, aut dignitatem pertine-
 ant, disputaturos, quod facit M. Tullius in
 oratione pro domo sua. beniuoli fient,
 si commemoremus res a nobis praecclare
 gestas, sed sine arrogantia, aut beneficia,
 quae in illos contulimus, vt idem facit in
 ea pro Flacco, aut si calamitatem nostram,
 aut eius, quem defendimus, proferamus,
 quod praestat idem in ea pro P. Sylla, aut
 si nostram imbecillitatem cum aduersario-
 rum potentia conferamus, vt fit in Quin-
 ctiana, aut laudemus auditores, vt in exor-
 dio Manilianae, aut odium in improbos
 concitemus, quod cernitur in Vatiniana.
 enitendum autem est, vt nulla in parte ora-
 tionis auditorem offendamus, minime ve-
 ro omnium in exordio, ac praesertim eum,
 qui nostrae causae iudex est. hinc illa, quae
 ad

ad prudentiam maxime pertinent, ab Aristotele annotata: si quando laudes nostrae a nobis commemorandae fuerint, quod insolens, & arrogans videri solet, aut aliorum vitia acerbius exagitanda, quod plerisque est odiosum, orationem alijs potius, quam nobis metipsis attribuendum, ut si non ethopoeia, at saltem specie quadam illius, ut in usu ethopoeiae docuimus, exprimat. eodem spectat illum etiam Aristotelicum, permagni interesse in laudationis exordio, ut arbitretur auditor se vna, aut res suas laudari. porro vitia exordiorum quae a scriptoribus huius artis colliguntur, facile vitabit in exordijs, qui superiorem methodum obseruauerit: nisi illa in vitiosis numeres, quae aliquando huiusmodi esse cœsunt Fortunatianus; ut si ab exemplo aliquo, aut a sententia exordiaris. in quo tamen difficile est modum tenere, cum quando illud liceret, idem non tradiderit. M. tamen Tullius exorditur librum tertium de officiis a Chria, quae est instar exempli, & Halicarnassens docet ab exemplo exordium duci posse. quoniam autem fere fit, ut pauci expectent, dum totam artem cognoscant, de ornatu exordiorum pauca quaedam exemplo Hermogenis hoc loco monere non inutile erit. ac primum exordiorum periochae

NON

non solutae, ut in epilogis, sed circuitione quadam plena, & eleganti fere colligatae esse solent. colligantur autem aptissime vinculis illarum coniunctionum, aut vocabulorum, quae alia alijs respondent: qualia sunt etsi tamen, cum tum, is qui, tantus quantus, quia sic, ita ut, non sed, non solum sed etiam, & alia sexenta huiusmodi. coniunguntur etiam apte sententiae, & quasi in orbem rediguntur, & numerum si praeposantur vocabula, quibus alia verba praeter illa, quibus adiunguntur, necessario referuntur. cuiusmodi sunt si, cum, poste aquam quando, ablatiui absoluti, ut grammatici loquuntur, & datiuus singularis participij praesentis actiui, quorum exempla, atque superiorum ita frequentia in exordijs Tullianis, ut superuacaneum plane videatur illa commemorare. addenda quoque vocabula vocabulis, incisa incisus ornatus causa siue eodem sensu, siue finitimo, siue plane diuerso, ut monet Hermogenes. quod fiet quam commodissime interpositis ijs coniunctionibus, quae a grammaticis copulatiuae nominantur, & sine vinculis coniunctionum ut in exordio Coelianae: *legum, iudiciorum, consuetudinis nostrae, & paullo post, diebus festis, ludisq. publicis, & de seditiosis cōsceleratisq. civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint,*

Libro.2.

attulerint, rem pub. oppugnarint, & in eodem, nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in iudicium vocari. sed quorsum tot exempla? nullum est exordium Tullianum, quod non sit hac varietate, & copia verborum & sententiarum refertum. atque haec quidem de exordijs satis sit praecepisse, nunc de naratione dicendum: nisi quis ante narationem addere velit proecthesim (sic enim eam uocat Fortunatianus) cū aliquid docilitatis causa ante narationem afferatur: ut in ea pro Sex. Roscio, atq. ut facilis intelligere possitis, Iudices, ea quae facta sunt, indigniora esse, quam haec sunt, quae dicimus, ab initio res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus & quae sequuntur. quae plane nihil differt a natura exordij, cum in ea & redditio, & rationes redditionis exponantur: nisi dicas proecthesim: a Fortunatiano vocari, quod naratur post hanc praeparationem a Cicerone ad euentum sequentis narationis. idem plane existimandum videtur de proparasceue, quā idem Fortunatianus ante narationem addit. nam ea, ut ille inquit, fit cum iudicem praeparamus, quia quaedam nobis obsunt, & illis prius occurrendum est: ut fecit Cicero pro Oppio contra M. Cottae auctoritatem, aut quaedam profunt, & ea debemus utiliter spargere, quae nobis per

per totam actionem prodesse possunt: ut facit Cicero pro Deiotaro rege. vbi ostendit qua fiducia aduersarij, & quid opinantes Deiotarum regem reum ad Caesarem deuocant: certe vtraque ratio ad exordia obliqua referenda est. nam priore, ut idem fatetur, occurrimusei, quod obesse posset, posteriori, ut fiduciam aduersariorū frangat M. Tullius, quae nocere multum illi in causa Deiotari poterat, Caesaris iram deprecatione accurrate facta lenit, & mitigat.

De naratione.



Aratio quid sit, ex naratiunculae definitione facile percipi potest. hoc enim tantum differt a naratiuncula, quod illa breuior, haec prolixior esse solet. haec pars non est semper in oratione necessaria: ut recte censuit Theodorus Gadaeus, quāuis repugnante Apollodoro Pergameno: ut in plerisque deliberationibus, in quas, si quando incidit, id fit propterea, ut recordati rerum praeteritarum, melius possimus de futuris deliberare: ut cum ex aliquo euentu instituitur deliberatio, ut si incommodum aliquod acciderit ex lege aliqua

Arist. 3.
Rhet.

M qua

Libro. 2.

qua, narandū est quando, & quibus, & propter quas causas ea lex lata primum fuerit, & quod incommōdum postea sit consecutum. quin & in causis iudicialibus, vbi maximus locus videtur concedi narationi, non est tamen semper ea vtēdum. quod est totum prudentiae, ac fortasse propterea ab Hermogene praetermissum. quis enim ignorat, si eadem, atque aduersarius noster narrauit, si mus naraturi, aut si notum sit iudici id de quo agitur, vt M. Tullius in ea pro Rabi-rio perducl. non narat, quia prior patronus Hortensius illud antea narauerat, aut si notum sit iudici, id de quo agitur, & ab utroque aduersario concessum, non esse necessariā narationem? quis praeterea dubitat ea, quae nobis obesse posse videntur, nō esse a nobis naranda, sed aut refellenda, si possumus, aut maiorum rerum pondere obruenda? neque etiam separatim narandum erit, vt monet Curius Fortunatianus, cum totam orationem naratio consumit, quod tunc singulae res gestae habeant vim argumentorum, vt in causa diuinationis. cum singula etiam facta magnam inuidiam continent, non vno loco naranda, sed tota oratione aspergenda, additis statim amplificationibus: vt fecit M. Tullius in tota fere secunda accusatione in Verrem quinque libris posterioribus.

bus. finitima huic est ratio illa narandi in genere demonstratiuo, vt non vno loco naratio proponatur, sed mēbratim, & per partes explicetur, vt cum singulae actiones cōmemoratae fuerint, amplificentur: cuius rei exempla suppeditabit posterior pars secundae Philippicae, quae tota in vituperatione versatur. illud non video, cur praeci- piendum fuerit, quod facit Fortunatianus, non esse narationem aduersarij dilucide, & ornate exponendam, neque nostram obscure, & negligenter. nam quis illud non videt nisi omnis sensus expers fuerit? quanto vtilius illud ab eodem obseruatur, non semper narationi secundum locum in oratione tribui debere, vt cum rebus quibusdam grauioribus ante narationem resistendum fuerit: quod fecit M. Tullius prudentissime in ea pro Milone tribus praepositis quaestionibus. sic in oratione pro Murena postquam dissoluerat ea, quae obijciebantur, adhibet narationem. quod est ordinis non naturalis quidem, sed artificiosi, quē *διανομή* Apollines, & Sulpicius Victor appellant. sed iam de partibus narationis ex Hermo- gene dispu- mus.

M a

D e

De partibus narationis.



Vattuor igitur sunt partes, in quas naratio ad summum produci potest: procatastasis, naratio proprie ita dicta, petitio, & illius ratio. Procatastasis (vt voluit Hermogenes) narat antea actam vitam, aut ea, quae antecesserunt factum praecipuum, quod naratur: vt in Liciniana commemoratio illa studiorum, atq. existimatio nis Archiae, dum ab Heraclienfibus ciuitate donaretur. talis quoq. esset naratio ex toto tertio libro in Verrem deprompta, atq. in vnum locum collata: siquidem ea oratio persequitur crimina ante praeturam Siciliensem a Verre commissa. erat autem in Verriana accusatione propositum Ciceroni de ijs tantum, quae in praetura Siciliensi Verres admitterat, disputare. ita fit, vt ea oratio procatastasis fere sit accusationis in Verrem. Sopater tamen procatastasim alia significatione vsurpat, vt sit aditus quidam ad futuram narationem: qui fit aliqua figura, qualis est dubitatio: vt, *unde initium sumam, aut quid primum commemorem, incertus sum. antea actam ne eius vitam primum referam, qualeq. se in*

*In diuis.
quest.*

se in republica praebuerit, an a facti ipsius atrocitate initium sumam &c. naratio vero proprie dicta sic a nobis exemplo Hermogenis appellatur, vt differat a tota naratione tanquam pars a toto, proprie autem dicta appellatur, quod praecipuum tantum factum, quod est maxime proprium causae, persequatur. nam in tota naratione non solum factum, de quo agitur, exponi solet, verum etiam naratur, & id quod antea gestum est: in quo commemorando proprie versatur procatastasis. nunc singulae partes narationis, quo modo tractandae sint. breui ex Hermogene doceamus: ac praesertim duae priores. nam in posterioribus nihil est negotij. ac ne praeeptionum seriem interrumpamus multitudine exemplorum, illis hoc loco supersedebimus, vnoq. tantum exemplo, eoq. breui, & ex consuetudine quotidiana repetito omnia illustrabimus. procatastasis igitur, & naratio proprie dicta ijsdem praeeptis continentur. commune namq. est vtriusque narare, quae facta sunt, & quae dicta, quaeq. praetermissa sunt, vt nec fierent, nec dicebantur: quae quattuor capita dilatari multis modis possunt. primo si commemorantur singulorum causae: vt in factis, *inuasit hominis collum, quod speraret se impune abiturum*, in factis praetermissis, *non sua qui-*

dem manu. sed per sicarios, ut facinus suum celeret. in dictis, dixerat triduo ante sibi nullas cum eo intercedere similitates, ut factum suum hac simulatione tegeret: in praetermissis dictis, cum gregalibus tantum consilium suum communicauit, ne testibus posset conuinci. consilia etiam, quib. animus in varias partes distrahitur, plurimum valent ad haec capita dilatanda, possuntq. multis ethopoeijs illustrari: ut, quam rationem in eam ad hunc hominem occidendum, incertus sum. die intercludor, ne in facinore manifesto deprehendar: noctu non possum aggredi hominem bene comitatum. possunt & adhiberi omnium circumstantiarum descriptiones praeterquam causae, ut personae: erat is, qui interfectus est, statura breui, collo procero, ingulis patentibus, loci, ut, erat ibi collis excelsus in solitudine propter viam, in eoq. arbor patulis diffusarum, temporis, celebrabantur eo die ludi magnificentissimi, magna ciuium, & peregrinorum frequentia, modi, ut alij a tergo, alij a lateribus miserum tumultuose adorantur, alij de superiore loco, alij ex aequo: unus iste sicarius a fronte eum inuadit inermem, & imparatum. petitio petit breui affectum congruentem narrationi. hac parte maxime viget narratio: ut, quis igitur isti sicario non irascetur insensissime? quis ei non succensabit? quis non indignabitur? ratio

tio item petitionis, quae vltima pars est totius narrationis, breuis esse debet, atque expedita: qualis haec esse posset superiori exemplo accommodata, cum tantum facinus, tam taetrum, tam nefarium audierit admissum fuisse. neq. vero dubium est, quin possint amplificari duae partes priores distinctis trib. temporibus, si narentur quae ante rem dicta, aut facta fuerint, aut in re, aut post rem ipsam, aut ea, quae audentur fieri, aut dici solere, aut potuisse: quae omnia quam latissime patent, & facile intelliguntur, intelligunturq. melius, cum ad extremam disputationem de inuentione peruentum fuerit. Amplificantur quoq. narrationes, si interponantur fabulae, aut naratiunculae poeticae, aut historicae, ut in progymnasmatibus explicatum est. hinc septima Verrina affertur exempli causa naratiuncula illa de L. Domitio, qui pastorem, quod is aprum, quem ipsi quidam muneris obtulerat, exceptum esse a se venabulo confessus esset, in crucem sustulit. hinc pro Rabirio Postumo altera auertendi criminis causa, cum inquit: nam, ut ventum Alexandriam est, iudices, haec una ratio a rege proposita Postumo & cetera. hinc illae fictae naratiunculae, quae fabularum vim obtinent: ut pro Sexto Roscio ad iudices concitandos de discursu amicorum

Hermo.
3. de inu.

Libro. 2.

rum, cum ait: *antequam Chryfogonum nomina-
ui, quem simulatq. attigi, & quae sequuntur*
& illa pro Cluentio urbanitatis plena con-
tra fratres Cepasios. hinc tandem illa poeti-
ca sexta Verrina de raptu Proserpinae: *in
his quondam locis mater filiam quaesisse dici-
tur &c.* illud vero obseruatione dignum,
quod notat Fortunatianus, omnia, quae in
tota oratione possunt interponi, eadem in
naratione locum habere, dum breui ea at-
tingamus. ita ille profert breuissimam di-
gressionem in naratione eius pro Sex. Ros-
cio interpositam, cum inquit M. Tullius:
*quas inimicitias si tam prohibere potuisset, quā
metuere solebat, viueret.* Sed nihil frequentius
neq. aptius in naratione interponitur ex
progymnasmatibus, quam descriptio, & etho-
poeia. hinc illa loci descriptio tertia Verri-
na: *opidum est in Helleponto Lampfacum &c.*
hinc illa ethopoeia de nauarchis septima
Verrina, & in ea pro Cluentio colloquium
Staleni & Bulbi. iuuabit plurimum hanc par-
tem illa quoq. cogitatio, quae in exordijs a
nobis exposita fuit, vt consideremus atten-
te singulas circumstantias, atque earum qua-
litatem pro natura narationis, vt inde, si cō-
modum videbitur, affectus congruentes na-
rationi accomodemus, atq. facilius ex il-
lis ethopoeias, & descriptiones elicere pos-
simus:

simus: quam varietatem plerunq. licet cer-
nere in narationibus declamationum So-
patri, atq. etiam in Tullianis, praesertim in
Verrinis, vbi liberius excurrit. hinc illa na-
ratio plena affectuum tertia Verrina, cum
deflet casum Philodami, & illa elegantissi-
ma septima Verrina de verberibus ciuis Ro-
mani. hinc illa plena affectuum oratio in
naratione Cluentiana, de nuptijs Salsiae:
*ô mulieris scelus incredibile, & praeter hanc
vnam in omni vita inauditum! o libidinem
effrenatam, & indomitam! o audaciam singula-
rem &c.* sed quoniam naratio femina, vt
dicitur, spargit futurae confirmationis, re-
cte Aristoteles monet, vt ea aspergantur in
naratione, quae nos commendent: vt, *ego
vero illum assidue admonebam, quae aequa
essent, ei proponēs, ne liberos desereret, atq. ea
quae aduersario noceant: vt, vt ille vero mi-
hi respondebat, sibi ubiunq. terrarum esset,
alios liberos non defuturos.* mores quoq. per-
sonarum detegendos admonet idem in na-
ratione ex ijs praesertim, quae genus illud
morum consequuntur: vt si de rustico, &
audace aliquid commemorares, poteris dice-
re: *cum haec diceret, ille incedebat:* quibus
verbis eius rusticitatem significabis, cum
fingas responsum alterius ab eo expectatū
non esse, sed, qui volent multa ad mores

Libro. 3.
Rhet.

hominum effingēdos breui cognoscere, legat Theophrasti characteres: quibus nihil in eo genere in tanta breuitate perfectius. ad affectus item significandos hortatur Aristoteles, vt in naratione adhibeamus ea, quae illum affectum consequuntur, quaeq. ei proprie conueniunt, ac praesertim ea, quae ijs, qui audiunt nota sunt. hinc illud Homeri in Odyssaea, vt significaret anum lacrymare volentem, *astans manus faciei obtendit.* id enim vulgo ita fieri in lacrymis profundendis videmus. apud quē scriptorem sexcenta huius generis eius interpretes obseruant, & Porphyrius multa in suis quaestionibus. sed de his satis: nunc ad formas narationū veniamus.

De narationum formis.

Res igitur sunt narationū formae Hermogeni: simplex, cōfirmata, & illustrata. melius quidē Hemogenes Graece, sed Latine, qui possint cōmodius appellari, nō reperio. simplex naratio fit, cū sere nec causae adhibentur, neq. descriptiones, quia res est certa, & perspicua: vt in Maniliana. cōfirmata, cum causae adhibentur, vt in Liciniana, & in ea pro Rabirio Postumo, illustrata, cū descri-

descriptiones multae sunt, & ethopoeiae interponuntur, vt in Verrinis. tres tamen istae formae in eandem saepe cadunt narationem, vt in Milonianā: in qua, & causae insidiarū Clodij, & multae descriptiones afferuntur. Sopater duo genera facit narationum, vt exordiorum, vnum rectum, alterum obliquum: illud narationem, hoc catastasim appellat. in recto genere, id est, in naratione simpliciter, & aperte, quae gesta sunt, naramus, in obliquo, siue catastasi eo spectat nostra oratio, vt crimina latenter purgemus, siquid nobis obesse potest, pedetentim, & clam alio auertamus, & rebus nostris praecclare gestis cōmemorandis suspicionem omnē criminis, cuius accusamur, ex animis auditorum euellamus. obliquae illud profert exemplum elegantissimum ex themate declamatorio: *Alcibiades post ea, quae Cizyci acciderunt, cum satellites, qui eum custodirent, petisset, accusatur tyrannidis.* is igitur exempli causa in naratione eius orationis, qua se defendet, primum cōmemorabit res a se praecclare gestas, orsus a studio philosophiae, cuius amore incensus Socratem primum audiuit, deinde, cum ad rem publicam accessisset, quae munera populo Atheniensi dedisset, quos illi socios adiunxisset, tum alterum caput instituet de inuidia

inuidia maleuolorum contra ipsum excita-
ta propter res praeclare gestas, vt illā auer-
terit, vt captarit occasionem ad alias res be-
ne gerendas, vt Cizycum imperio Atheniē-
sium adiunxerit: ex quibus nascetur tertiū
illud caput, ex cuius naratione intelligatur
illum tyrannidem non spectasse, cōmemo-
rata iterum institutione Socratica, & popu-
lari administratione, quod genus reipubli-
cae semper ille optimum iudicasset. Nara-
tio eius pro Coelio hoc genere posset tota
pertrahi, si quis primum occurreret cōiitijs
luxuriae, petulantiae, impudicitiae, quam
veneficij, in quibus solis omnis oratio Cice-
ronis versatur, deinde de bonis disputaret,
& totam causam explicaret. Apfines alia
genera narationum induxit, vt vehemens,
graue, patheticum, moratum: quae, cum so-
la elocutione distinxerit, non sunt huius
loci, sed ad elocutionis potius vsum perti-
nent, vt nec illa quinque genera, quae affe-
runtur hoc loco a Fortunatiano: de quibus
a nobis disputatum in naratiuncula. mul-
to vero minus illud adhibendum hoc loco
est, quod facit studiosissime Apfines, vt in
generibus certis causarum doceamur si-
gillatim, quo modo narandum sit. illud e-
nim esset *ἐπιπέδον* potius, quam artem pro-
fiteri. illa autem narationis diuisio in octo
formas

formas Fortunatiani superuacanea etiam
videtur: cum omnes illae formae ijdem su-
pra expositis praeceptis perficiantur. sed
iam persequamur ornatū narationis, quem
praepropera quorundam festinatio postu-
lare videtur.

De ornatu narationis.

DE ornatu narationis tantum il-
lud praecipit hoc loco Hermo-
genes ornari illam maxime, cū
tria, aut plura incisa eodem fe-
re sensu in ea adhibentur, vt copia ver-
borum abundet: quod in superiori exem-
plo petitionis, atq. eius rationis apparuit.
facilius tamen intelligetur in hoc exēplo
Hermogenis, quod nescio, an satis apte La-
tine reddemus, in eo certe omnia praecepta
Hermogenis apparebunt: *cum bellum insta-*
ret, congregiendumq. nobis cum hostibus esset,
pugnaq. committenda, nullum alium imperato-
rem elegimus, nec alium rebus nostris praefeci-
mus, neq. alij exercitum commissimus: sed hunc
imperare volumus, ei dignitatem nostrae Rei-
pub. commendauimus, eiusq. voluntati omnia
permissimus, non eo certe consilio, vt urbem no-
stram proderet, ad hostesq. deficeret, sed, vt res
nostras

Omissa.

Facta.

Causae.

Omissa.

Causae.

nostras amaret, eisq. cum beniuolentia praeesset. sed cum ille proditioni studeret, neq. recte imperabat, neque rem bene gererat. erat siquidem animo a nobis abalienato, & in rempublicam malenolo. itaque ut nos vinceremur, effecit, sed cum Dei Opt. Max. benignitate rebus nostris prospectum, & prouisum esset, nostraeq. ciuitatis errata emendarentur, venit nobis in mentem, ut vinculis perruptis, & ausugere, & a nobismetipsis seruari possemus. ibi tum iste dux haec secum coepit cogitare: si portas urbis aperuero, rationemq. qua trecenti seruentur, iniero, irrita erit, & inanis mea de proditione cogitatio, in meq. haec faba cadetur, sin autem non aperuero, & meam cupiditatem explebo, & omnes morientur, atq. res eorum in eum locum adducentur, ut miserrima sint condicione: hoc consiliū posterius illi placuit. vides in hoc exemplo, quanta sit caesorum varietas, & copia, quae idē valeant, vt etiā illustrata fuerit haec narratio factis, praetermissis, causisq. vtrorūq. & consilijs. illud etiam in elocutione narrationis obseruandū, ne consilia a nobis proferantur tāquam ex ratiocinatione, quod esset magis confirmationis, sed simplici ratione, quemadmodū praecipit Aristoteles: vt, cum eo mortuo se eius heredem futurum certo sciret, coepit de eo necando cogitare. cetera, quae ad ornatum narrationis pertinent,

Libro.3.
Rhet.

aut

aut exposita sunt in progymnasmatibus, cum de generibus naratiuncularum disputabamus, aut in id tempus reseruanda, cum de elocutione & ideis differendum erit. quod si quis requirat exempla narrationum, magna earum copia suppetet in orationibus Tullianis, quae aut perpetuae leguntur, vt in Quinctiana, in ea pro Sexto Roscio, & in alijs multis. aut interruptae, vt in Verri- nis, & in Cluentiana: vbi multae narationes aperte leguntur. omnium tamē clarissimae narationes Lybiae, qui vnus canon est in eo genere, vt Dionysius Halicarnasaeus obseruat. atq. haec de naratione satis ex decretis Hermogenis, nisi quis velit calumniae Tzetzae respondere, qua ille Hermogenem in disputatione de procatastasi criminari conatur. sed non video, qui possit Hermogenes reprehēdi, si illud teneamus, quod est totum prudentiae, nec ab Hermogene praetermissum, vā non omnia, quae ante gesta sunt, in procatastasi effundamus, sed ea tātum, quae noltrae causae vtilia videbuntur. vt facit M. Tullius prima naratione Cluentiana, quae tota procatastasis est: cum in ea nihil de veneficio, sed de causis, quibus mater ei inimica esset, naretur. nā, quod requiri praeterea posset, cur Hermogenes procatastasim tam varijs formis

causarū

causarum illustrarit, idem cumulate satisfacit, cum inquit, hoc a se factum, vt posita quaestione quam facillime procatastasim inuenire possemus: quam tamen varietatē nos praetermissimus, quod *inuenias* magis istud videtur, quam artificij proprium, & quod aliqua illorum longe a nostra consuetudine abhorreant. quare ad confirmationis praecepta properemus.

De alijs partibus, quae antecedunt confirmationem.



Absoluta narrationis inuentione, de confirmatione deinceps agendum esset, nisi aliae partes illam antecedere existimarentur. Fortunatianus quidē, qui plures ex his partibus collegit, quattuor ante confirmationem numerat: digressionem, anacosim, partitionem, & propositionem. sed, qui tot partes inculcat, poterat, & quintam interponere, qua, vt idem inquit, facilis descensus a narratione ad confirmationem fieri debet, ne abrupte videamur confirmationem inchoare. quod praecclare obseruauit M. Tullius in ea pro Caecina in extrema narratione, cū inquit: *his rebus ita gestis P. Dolabella praec-*

tor

tor interdixit, vt est consuetudo &c. hoc loco M. Tullius ad id vsq. delapsus est, vnde eius causae quaestio oritur: quod quauis possit aliquando fieri, non semper tamen a defensore praesertim fieri potest. quare illud praecipere non erat necesse, aut certe prudentiae oratoris erat omnino relinquēdū. nam de digressionem, cum idem fateatur nō esse certum & definitum ei locum in oratione, non magnopere cum eo contenderim. tantum illud addam digressionem non solum eam esse, quam ille exposuit, cum criminis atrocitas amplificatur, verum etiam, cū multi exitus dantur in orationibus ex progymnasmatibus. hinc illa Siciliae laus quarta Verrina, & illa Pompeij in ea pro Balbo, & naratiuncula illa poetica de raptu Proserpinae sexta Verrina, & innumerabilia alia apud M. Tullium. neq. vero satis est crimē atrox esse, vt ad illud infectandum ante confirmationem digrediamur, sed oportet praeterea, quod vere annotauit Quintilianus, certum, & exploratum esse. ineptum enim esset oratorem re adhuc incerta tragoedias excitare. propter quam causam Sopater nominibus etiam, vt locis ista separanda curauit: vt, cum atrocitatem criminis ante confirmationem infectaremur, cataphora diceretur, quod fecit Demosthenes in Midiam

N cum

Libro. 2.

Libro. 4

*In diuis.
quaest.*

Lib. 4.

Libro. 2.

cum ab ea orsus sit. at, cū post confirmationem adhiberetur, epiphorā appellandā cen-
 fuit: quales sunt loci cōmunes in epilogis
 frequentissimi. illud tamen miror, cur hoc
 primum loco de digressione disputetur, cū
 in exordijs etiam, vt omnia progymnasma-
 ta locum habeat: quod & in ea pro Milone
 factum fuisse a M. Tullio testatur Quincti-
 lianus nisi fortasse de digressione hic agi-
 tur, quia raro fiunt digressiones nisi institu-
 ta iā naratione. cū fiet autē digressio in cri-
 minis atrocitatem aut fiet praeceptis illdē,
 quib. locus communis, aut certe, vt mo-
 nuit idem Fortunatianus, ex circumstan-
 tijs. ex quibus quomodo factum aliquod
 amplificari debeat, copiose exponetur in
 extrema diputatione de confirmatione. il-
 lud etiam in digressionib. magno studio
 curandum, vt apposite cohaereant cum
 eo, quod persequeremur, & ne iusto lon-
 gius, neq. sine aliqua nostrae causae utilita-
 te vagemur, & vt reditus ad id, quod
 propositum erat, aptus sit. quae omnia pla-
 ne cognosces ex Tullianis exemplis, quae
 antea iudicauimus. post digressionem ad-
 dit Fortunatianus ananeosim, qua non rem
 ipsam praeparamus, vt in proparasceue,
 sed iudicem ad rem audiendam. quam par-
 tē propriam huius loci esse voluit, vt post
 narra-

narationē, ante cōfirmationēq. collocetur,
 eaq. vsum M. Tullii in Quinctiana, & in ea
 pro Caecina. in Quinctiana quidē, vt vide-
 tur, cū inquit: *iudiciū esse C. Aquili non de re
 pecuniaria, sed de fama fortunisq. P. Quinctij
 vides, & quae sequuntur, in ea vero pro Cae-
 cina, cū ait. maxime fuit optandū Caecinae,
 Recuperatores, vt controuersia nihil haberet, &
 vterq. certe locus habet vim exordij, quae
 in omni parte orationis potest interponi, si
 necesse fuerit. nā priori exēplo cōciliatur ani-
 mus iudicis auditis in cōmodis iudicij, & no-
 ua ratione, quā aduersarij inducūt: vt reus
 prius causam dicat, quā accusator, in poste-
 riore autē animus iudicis cōtra aduersariū
 concitatur cognita eius stultitia, atq. impro-
 bitate. idē est existimandum de illa praepa-
 ratione, quāquam est multo utilior, quā ar-
 bitratur Fabius hoc loco ponendā, si iu-
 dex videatur parū nobis propicius. nihil e-
 nim aliud omnino est, quam nouum exor-
 diū, quo animū iudicis a nobis alienatū mol-
 lire conamur, paullo quidē liberius, & ve-
 hementius, cū ei causa iā nota sit. reliquae
 duae partes adduntur a Fortunatiano ante
 cōfirmationem propositio scilicet, & parti-
 tio: quae vsui magno sunt confirmationi.
 eas licet reuocare ad eam, quam Hermoge-
 nes praecōfirmationem (id enim valet no-*

men Graecum *ἡς προκατασκευῆς*) appellat: haec autem pars est, in qua proponimus id, quod a nobis confirmandum, aut refutandum est siue vnū, & simplex sit, quales erāt propositiones expositae in singulis statibus siue multiplex sit. cōiūxit hāc partē Hermogenes cum cōfirmatione, quia raro ante narrationē solet adhiberi. *Libro. 2.* partitio quidē ante narrationē potest induci, vt scribit Curius Fortunatianus. cum ad inuidiā narratio in multas partes concidenda erit, aut si longa futura sit narratio, vt ad docilitatem iudicē praeparemus. posterioris exēplū: *dicā, quae acta sūt ante rē ipsā, quae in re ipsa, quae postea, prioris exēplū: vt, cum in accusatione in Verrem in multas partes concidenda esset narratio criminum Verris quinq. illis posterioribus orationibus, proponit Marcus Tullius in tertio libro in Verrem quadripartitam illam propositionem ante narrationem singulorum criminum his verbis: quae*

stor Cn. Papirio consuli fuisti ab hinc annos quatuordecim, ex ea die ad hanc diem, quae fecisti in iudicium voco. hora nulla vacua a furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. hi sunt anni cōsumpti in quaestura, & legatione Asiatica, & praetura urbana, & praetura Siciliensi. quare haec eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meae. Hermogenes obseruat

uat Demosthenem vt partitione ante narrationem, cum vult iudices fallere, vt in oratione de falsa legatione, ceteroqui post narrationem eam adhibere: vt in oratione in Aristocratem. propositio igitur non est semper necessaria, vt cum satis intelligitur de quo sit agendum, siue ex fine narrationis, siue aliūde id fiat: vt in Miloniana plane percipi potest propositio ex illa clausula narrationis, *haec, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices. insidiator superatus: vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est.* in ea tamen propositionem quoq. expressit M. Tullius. neq. etiam propositio praecipua proponenda, cum iudici inuisa fuerit, sed alia proponenda, & alio auertendus animus auditoris, vt tandem flecti, & vinci possit. cum autem propositio adhibenda fuerit, aut simplex erit, aut partita: vt illa in Verre antea exposita. partita propositione, seu partitione vtimur, vt ait Fortunatianus, *cū* *Libro. 2.* *causa fuerit longa, vt illa in Verre, aut coniuncta ex varijs capitibus, vt illa pro. Murena: intelligo, iudices, tres totius accusationis partes fuisse, & earum vnā in reprehensione vitae, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus. ambitus esse versatam, aut certe, si obscura fuerit, qualis illa fortasse Cluentiana: ostendam, iudices, primum, quoniam caput illius*

atrocitatis, atq. inuidias fuit, innocentem pecunia circumuentum, neminē unquam maioribus criminib. grauioribus testib. esse in iudicium vocatum, deinde ea de eo praeiudicia esse facta. &c. Huius partitae propositionis duo sunt genera exposita a Fortunatiano, vnū per se iunctio nē, alterū per enumerationē. Partitio per seiunctio nē vocatur, cū ostendimus, quid nobis cū aduersarijs cōueniat, & quid non cōueniat, vt illud quod conuenit, ad nostrā utilitatem transferamus: vt, *conuenit mihi tecum peregrinum esse, & muros ascendisse, reliquum est, vt in quo dissentimus, te lege condemnandum esse doceam.* quod genus propositionis aliquando premit aduersarium, & iudicem vehementer mouet propter aduersarij confessionem, vt ait Quintilianus. Partitio, quae fit per enumerationē, aut proponit capita praecipua, & inter se paria ex illis, quae exposita sunt in statibus, aut in locis laudis, aut vituperationis, vt in illa pro Murena, aut proponit partes, in quib. quasi gradib. quibusdā a priorib. ad vltimū peruenitur, vt in Maniliana: *primū de genere belli, deinde de eius magnitudine, tum de imperatore eligendo dicendū.* nā, cum constiterit bellū illud suscipiendum, sequitur deinceps, vt quaeramus, quantum illud futurum sit, cū autem suscipiendum illud, & magnum esse

Lib. 4.

se demonstratum fuerit, hinc necessario consequetur, quod erat in ea causa propositū, vt magno alicui imperatori, qualis est Pompeius, committatur. aut, quod extremū est, partita per enumerationem fit propositio, cū partes, ex quib. colligitur, quod propositum est in quaestione, enumerantur: vt in ea Demosthenis de falsa legatione, & male gesta ab Aeschine proponitur, quod mētutus sit, quod nihil ex mādatis fecerit, quod commoratus sit, quod munera acceperit: quae partes sunt male gestae legationis. cauendum autem est, vt in illo secundo genere, ne aliquid inane, & superuacaneum. vt recte monet Quintilianus, videatur, cum iudex properet ad id, quod potentissimū est. itaque, vt idē ait, non defuerunt, qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem improbarunt, quae se dicturum esse promissit, primum neminem maioribus criminibus, grauioribus testibus in iudicium vocatum quam Oppianicum, deinde praeiudicia esse facta ab ijs ipsis iudicibus, a quibus condemnatus sit, postremo iudicium pecunia tentatum non a Cluentio, sed contra Cluentium: quia si probari posset, quod est tertiū, nihil necesse fuerit dicere priora. in hac etiā partitione per enumerationem illud videndum, ne in multas partes propositionē di-

Lib. 4.

uidamus, neue partem aliquã illius primae diuisionis statim partiamur, sed suo loco, cum eam persequi coeperimus, vt in Manliana, tertiã partem diuidit M. Tullius post explicatam reliquarum confirmationem, cum inquit: *ego sic statuo, in optimo imperatore quattuor has res inesse oportere.* enitendum autem, vt ordinem, quem proposuimus, persequamur: vt fecit M. Tullius in Manliana quanquam potest aliquando perturbati, si causa non fuerit in multas partes distributa: quia tunc non verebimur, ne ordo permixtus iudicis animum conturbet, aut, si illud in extremo ponamus, quod primo purgandum est, ne statim initio iudicem offendamus. partitio, vt refert Sulpicius Victor, assidua erat apud Catonem, apud M. Tullium rarior. addit Hermogenes superiori generi praeconfirmationis aliud longe diuersum, quod vim potius, & naturam exordij habet, cū orator disputat aliquid, quod videtur praeter consuetudinem in iudiciū vocari: vt causa contumeliae, quae disceptatur a Demosthene cōtra Midiã. tū enim si status, de quo disputandum est, non diuidatur legitimo, vtilissimum est praeconfirmatione quadam vti, ne iudices offendantur, qua doceas causã illã ad leges, & cōsuetudinẽ fori pertinere: vt fecit Demosthenes

in

in eadẽ in Midiã ac partes quidem, quae cōfirmationẽ antecedere solẽt, expositae sunt: nunc de confirmatione ipsa differemus.

De confirmatione.



Vlla pars orationis maiori cū cura, atq. diligentia consideranda: quod in hac totius causae, & orationis praesidiū, & firmamentum tractetur. de qua parte, cum plane, & distincte ex sententia Hermogenis disputauerimus, tum rationem, & viam ab illo inuentã, cum aliorum inuentis comparare licebit. capita igitur, quae in singulis statibus, atque etiam in genere demonstratiuo exposita sunt aut sunt argumentis confirmanda, vt voluntas, & potestas in coniecturali, aut potius amplificanda, vt ea, quae ab initio ad finem dicuntur in alijs praesertim statibus, quantitas etiã, & cōparatio, & omnia fere capita exornationis. quoniã autẽ vtrunque, et si ex iisdẽ fontibus circumstantiarum manat, dissimili tamen ratione perficitur, & ad summũ adducitur, de vtroq. separatim disputandũ est, ne quid confuse a nobis doceri videatur. sed, quia magna ex parte ita fieri videmus, quod & in statibus obseruauimus, vt

N s

pro-

probationem amplificatio sequatur, danda nobis opera est, vt exemplo Hermogenis primum doceamus, quomodo quodque argumentum a nobis inueniri, & tractari debeat, vt ad summum perducatur, deinde rationem aperiamus, quae ea, quae exposita sunt, aut confirmata, possint quam expeditissime augeri, & amplificari. vt igitur argumenta possint quam diligentissime pertractari, quinque penitus rationes, & singulae separatim hoc ordine cognoscendae sunt. prima, quemadmodum nostra, aut aduersariorum capita proponi debeant. secunda, vnde copia suppeditabitur argumentorum ad nostra capita confirmanda, & ad capita aduersariorum refellenda. tertia, quo modo inuenta argumenta possint dilatari. quarta, cum inuenta, atq. dilatata fuerint, qua via possint reddi ad persuadendum firmissima. extrema, cum multa fuerint argumenta, quo ordine sunt in oratione collocanda,

De ratione proponendi capita.



Capita igitur, vt a prima huius disputationis parte exordiamur, si nostra sint, proponenda sunt simpliciter:

pliciter: vt in coniecturali, *cedo mihi testes, in negotiali: hoc est tibi fructuosum futurum.* neq. vero ita simplici oratione proponenda capita nostra censemus, vt illustrari, & varie exponi non possint. monuit siquidem Fortunatianus proponi posse a nobis capita nostra cum breui aliqua praeparatione, qualem in proeethesi docuimus, aut sine vlla praeparatione, vt in superiorib. exemplis, omnib. etiam figuris sententiarum posse variari, ac praesertim per transitionem, aut concessionem, aut praeteritionem, vt docuit Capella. quod fortasse Hermogenes non adiunxit, quia elocutione totum hoc perficiendum est: quae disputatio in alium locum ab illo reijcitur. potest tamen facile precipi, quam varie proponi possint capita, si exempla Tulliana, quae sunt innumera bilia, consulamur. sed age ex tanta multitudine exemplorum duo, aut tria proferamus, in quibus species aliqua huius varietatis cernatur. in ea igitur pro Sex. Roscio, cum accusat Tullius Roscium, quod Sex. Roscium occidisset, sic proponit eius voluntatem, quod vniu. caput est ex coniecturalibus: *causam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio. at ego in T. Roscio reperio.* proponitur hoc loco voluntas dissimilitudine quadam, & conuerso sermone ad aduersarios. at in eadem paullo post aliter proponitur

Libro. 2.

T. Ro-

T. Roscij potestas his verbis: *video igitur causas esse permultas, quae istum impellerent: videamus nunc, ecqua facultas suscipiendi maleficij fuerit.* ubi & transitione utitur ab vno capite ad alterum, & quasi per admonitionem, vt loquitur Fortunatianus, posterius caput proponit. capita aduersariorum proponi possunt, vt nostra multis modis, vt obseruant Maximus, & Fortunatianus. sed cum copiosissime proponuntur, ad quatuor sensus, siue partes extendi possunt. quarum prima propositio vocatur ab Hermogene: ea exquirat caput aduersarij: vt, *noni, ubi se iactaturus sit.* secunda hypophora, Latine subiectio dici potest, quae subiicit caput, & sententiam aduersarij: vt *dicet hoc inutile.* tertia contraria propositio, quae praeparat ad refutandam sententiam aduersarij. haec fere ironia quadam, & irrisione exprimitur: vt, *praeclara scilicet oratio: quasi vero hoc facile refelli non possit.* quarta anthypophora nominatur: qua refutamus caput aduersarij. haec fieri potest tribus modis per enstasim, cum id, quod aduersarius affirmate proposuit, nos negamus, aut, quod ille negauerit, nos affirmate exponimus: vt in exemplo superiori, cum aduersarius dixisset, *hoc est inutile.* subiicimus nos, *non est inutile,* secundo modo fit

Libro. 2.

fit anthypophora, & solutio sententiae aduersarij per translationem, seu antiparastasisim, cū concedimus id, quod obijcitur, sed illud aliqua circumstantia auertimus: vt, *et si illud inutile est, non tamen hoc loco, neq. hoc tempore.* tertio modo fit, cum subiicimus contrariū eius, quod ab aduersario propositū est: vt, *immo est utile.* hoc genus solutionis vocatur violenta solutio, quod maximam vim afferat: quae potest & aliter fieri, si doceamus aduersarium contrariū fecisse eius, quod dixerat se commississe. de his plura ex Apstine, & Maximo afferri possent, haec tamen satis multavidentur. hae quattuor partes non exprimuntur semper ab oratore, neq. est id quidē necesse, sed aliquando tres, aliquando pauciores, paucioribus quidem acriorem reddimus propositionē, pluribus vero ornatiorē: vt in Maniliana propositio haec est, *quid igitur ait Hortensius? quae sequitur ornatā praeparationem, deinde sequitur hypophora: si uni omnia tribuēda sunt, vnum dignissimum esse Pōpeiū, sed ad vnū tamē omnia deferri non oportere.* postremo contraria propositio, in qua latet anthypophora per enstasim his verbis: *obsoleuit iā ista oratio, re multo magis, quam verbis refutata.* postea sequuntur argumenta. duae sunt tantum partes in illo loco Manilianae: *at enim nihil no-*
ni fiat

ni fiat contra exempla, & instituta maiorum:
 haec est hypophora. tum sequitur, *non dico*
hoc loco maiores nostros semper in pace consuetu-
dini &c. haec anthypophora per enstasim:
 in qua etiã inclusa sunt argumenta. breuius
 sententia aduersarij proponitur quarta Ver-
 rina sic: *at commodi mores.* haec hypophora:
quis contumacior? hoc iam argumentum est
 sine anthypophora, quae tamen satis intel-
 ligi per inficiationem potest. sed in Licinia
 na quattuor partes distincte leguntur his
 verbis: *quaeret quispiã,* haec est propositio.
quid? illi summi viri, quorũ virtutes litteris pro-
ditae sunt, ista ne doctrina, quã tu laudib. effers,
eruditi fuerũt? haec est hypophora. *difficile est*
hoc de omnibus cõfirmare: sed tamẽ est certum,
quid respondeã. haec cõtraria propositio. illa
 quae sequitur anthypophora per cõcessio-
 nẽ: *ego multos homines excellenti animo, ac vir-*
tute fuisse, & sine doctrina &c. ineq. vero sem-
 per hypophora exprimitur, immo, quod o-
 minũ sermone tritũ est, & apud M. Tullium
 frequentissimũ, plerunq. tacitate obiectio-
 ni respondemus. inuertitur aliquando va-
 rietatis causa harum partium ordo ab ora-
 toribus: vt in ea pro Rabirio Postumo prae-
 greditur hypophora his verbis: *at habet, &*
celat. tũ sequitur propositio: *sunt enim, qui*
ita loquantur. eodẽ modo post anthypopho-
 ram,

ram, quod est mirabilius, vt ait Fortunatia-
 nus, possumus hypophorã inducere: quam *Libro.2.*
 do scilicet hypophora inuidiosa futura est,
 & anthypophora est fortior. vt in diuina-
 tione in Verrẽ, cũ multa exẽpla clarissimo-
 rũ virorũ attulisset, quibus docuerat nocẽ-
 tes ciues saepe ab alijs accusatos fuisse,
 quod erat anthypophora, subiungit hypo-
 phorã his verbis: *quid sibi iste vult? accusato-*
rẽ ne esse existimari, qui antea defendere consue-
uerat? & monet idẽ Fortunatianus ne hypo-
 phoras proponamus plene, & copiose, ni-
 si cum aut irridere aduersariũ voluerimus,
 quod id auxerit, de quo nulla erat quaestio,
 quod ait idẽ fecisse M. Tulliũ in ea pro Cor-
 nelio maiestatis reo, aut, si quid sibi repu-
 gnãs, & discrepãs afferat aduersarius, quod
 eundẽ fecisse scribit in ea de rege Alexãdri-
 no. haec ad prudentiã, atq. elocutionem vi-
 dentur pertinere, vt illa quae idẽ adiungit
 ad elocutionẽ, hypophoras nostra oratio-
 ne inminui posse, & extenuari additis, aut
 detractis, aut immutatis verbis aduersario-
 rũ. illud potius huius loci propriũ est vnã,
 & eandẽ hypophorã posse duabus, & tribus
 anthypophoris solui, vt apparuit in exẽplis
 thesis, & legislationis. ex quo plane percipi-
 tur, non de futuram copiam propositionũ
 oratori. multas enim suas poterit propone-

re ex capitibus varijs statuum ad confirmandum, multas aduersarij ex locis oppositionum, quos in definitiuo statu exposuimus, aut ex diuersis generibus anthyphorarū. quin & in illis, quae simpliciter ex capitibus proponuntur, potest existere magna varietas: vt in coniecturali ex testiū capite, *quis vidit? ubi? quando? apud quos? & cōtra non in omni negotio testes requirendos, signa loco testimonij proferri posse.* capita igitur siue ad confirmandū, siue ad refellendum his modis proponi possunt: nunc illud, quod secūdo loco positum fuerat, consideremus.

De ratione inueniendi argumenta.

Mnia igitur argumenta, quae ab oratoribus inueniuntur, ex aliqua circumstantia, vt placuit Hermogeni, ducuntur, aut ex qualitate cuiusq. circumstantiae. sunt autem circumstantiae, vt multis in locis explicatum est sex: persona, res, causa, locus, tempus, & modus. nam instrumentū, quod addunt Plutarchus, & Porphyrius, ad modum referendum est. actio autem, & passio, quae a Plutarcho his adiunguntur, ad rem per-

pertinet. Ex his locis orator docebit aliquid bonū esse, aut nō esse, futurū vt fiat, & quodcunq. genus quaestionis illi proponi poterit: vt bonū dicat esse propter personā, propter rē ipsam, propter causam, locū, tēpus, & modum. sed propius accedamus ad exēpla, quae in vsum forensem incidant, & quod Hermogenes in Pericle Graeco, nos in Catilina Romano experiamur. sit ergo accusatus proditionis, qui status coniecturalis est, actorq. dicat Catilina prodit urbē, contra reus, aut eius patronus Catilina nō prodit urbem. omissa igitur praescriptione primum caput in coniecturali erat testium petitio. quod caput vterq. aduersarius tractabit ex iisdem locis circumstantiarum, aut certe ex qualitate cuiusq. sic ergo Catilina se tuebitur: *non est, indices, audiendus M. Tullius, nisi testes huius criminis, cuius me postulat, produxerit, a persona: ita enim nobili familia, usq. moribus natus sum, ut sine testibus tantum crimen de me suspicari nemo debeat. a re: quia nihil sine testibus in iudicio credendum est. aut, quod non ita late patet: quia tanti sceleris suspicionem sine testibus approbare non debetis. a causa: ne, si nouis istis hominibus facultas fingendi crimina concedatur, nobilitati periculum aliquod semper creent. a loco: nam in republica, ubi libertas colitur,*

O

quis

quis accusatorem ferat, nisi testibus, quod intendit, comprobabit? a tempore: hoc praesertim tempore, quo propter similitates nemo est scire, qui crimina non audeat fingere. a modo: cum ita composita, & meditata oratione ad accusandum accedat. contra M. Tullius ex iisdem locis sic disputabit de testiū petitione. a persona: quis tanto periculo se committet? quē enim iste testē, qui contra illū testimoniū dicere audeat, non trucidaret? a re: proditores, & si quae alia his finitima scelera, occulte committuntur, & sine testibus, ne si in tanto facinore deprehensi fuerint, eius auctores, vel iudicio nō expectato, grauissime puniantur. a causa: nā, si testes huius sceleris, quod ita in singulas horas propagatur, expectaueritis, celerius opinione opprimemur. a loco: etenim in centumvrali iudicio, ubi veritati magnus honor habetur, testibus opus non est. a tempore: hoc praesertim tempore, quo omnes studio rerū nouarū praecipites in vitia taeterrima feruntur. a modo: cum ita instructi ad dicendum testimoniū testes in forū veniūt. eodē modo licebit Catilinae voluntatis caput disputare. a persona: ego eam rēpublicā prodere voluissem, cuius maiores de eius dignitate amplificanda tā opere laborassei? a re: cum nullū crimen grauius, nullū periculosius admitti posset. a causa: prodent quidē ciues suos, qui egestate, qui odio suorum civium premuntur: quarum ego rerum nulla vxor. cui
pra

praeterea bono mihi id futurum erat? a loco: patriam vero ego mihi carissimā, in qua natus sum, atq. educatus sū, sicine prodere voluissem? a tempore: eo praesertim tempore, quo consulatū petebā. a modo: quo autē modo mea consilia eo spectare videbantur? contra M. Tullius ex iisdem locis disputaret, tu rēpublicā prodere voluisti. a persona: quia sic vitā a puero instituisti, ut omnia tua consilia, omnes cogitationes dominationē spectarent. a re: quid enim dominatione potētius? a causa: qua ex re maximos tuorū bonorū fructus percepisses. a loco: in magna libertate morum, & vitae facile reperiuntur multi homines perditissimi, qui vsui esse possint, & adiumento ad patriam labefactandam. a tempore: praesertim quo tempore multi aere alieno opprimuntur. a modo: cum tu noctu domos priuatorū hominū crebro adeas, illos secreto conuenias, greges eorū tibi adiungas, clandestinis consilijs nos oppugnes. liceret eadem ratione & potestatem, & reliqua capita status coniecturalis persequi: ex his tamen abunde percipi potest, quanta argumentorū copia, atq. vbertas ex circūstantijs, aut earū qualitate possit comparari. sed eandem rationē statui negotiali tantisper accommodemus. dissuasor igitur ita differet, nihil noui a vobis fieri debet, neq. contra maiorū vestrorū instituta. a persona: Romani enim semper legū, cōsuetudinifq. vestrae obseruantissimi
O 2 fuistis

fuiſtis. a re: quid autē periculofius mutatione legū, inſtitutorūque? a cauſa: ne ſi ſtudiū iſtud rerū nouarū longius propagetur, reſpub. aliquando e ſuis ſedibus conuellatur. a loco: in republica praefertim, ubi propter ſummam morum, & vitae libertatem maxime leges conſeruandae. a tempore: praefertim tempore belli, quo tumultus facile poteſt excitari ad reſpub. euerſendam. at ſuaſor illa contra proferet: noui aliquid fieri hoc rerum ſtatu in republica oportere. a perſona: quia Romani ſingulari prudentia praediti ſemper reipublicae ſaluti conſuluerunt. a re: nihil prudentius, nihil ſapientius, quam tempori parere. a cauſa: propter metum impendentis calamitatis. a loco: in ea urbe, in qua tot res nouae, tanta cum laude, & praeter conſuetudinem geſtae ſunt. a tempore: cum iſ casus acciderit tam praeter opinionem, atq. omnium expectationem, ut niſi noua ratio conſilij ad illum accommodetur, omnia ſint ſubito peritura. poſſunt & duae, & tres circumſtantiae in idem argumentum conferri: ut a re, & a cauſa dicet M. Tullius: tanti facinoris teſtes non ſunt expectandi: ne antequam eos reperiat, opprimamini. vides quam copioſa ſit ratio inueniendi argumenta ex diuerſis circumſtantiarum generibus, ſed ex ſingulis tantum circumſtantijs. nam ſi ex binis, ternis, aut ijs plurib. cuiuſq. generis argumenta ſum-

ta ſumpſeris, multo maior copia exiſtet: ut ex diuerſis perſonis in ea cauſa, de qua agitur, ex diuerſis, cauſis, locis, tēporibus: ut in eodē argumento Catilina ſupra attulerat argumentum ex ſua perſona, quo docebat ſine teſtibus non eſſe fidem habendam Ciceroni de tanto crimine. addet igitur aliud ex perſona Ciceronis: quod iſ ſemper inimicus acerrimus, & inſenſiſſimus fuerit Catilinae & ex vtriuſq. perſona ſimul poterit illud argumentum proferre: non eſſe credendum homini nouo ambitione corrupto ſine teſtibus, qui inuidia ſuſpiciones cōtra nobiles viros excitet. a perſona etiam iudicum: nam vestræ prudentiae eſt non committere, ut iſtis nouis hominibus concedatur iſta facultas oppugnandae nobilitatis. ſic a cauſis diuerſis multa elici poſſunt argumenta: non eſſe abſq. teſtibus iſtis credendum, ne contra leges, inſtitutaq. maiorū aliquid iudicaſſe videamini, & quia iniquum videtur ſine teſtibus de tanto ſcelere certum aliquid iudicare, deinde ne quotidie noua pericula nobilitati creentur, tum etiam ne male apud exterarum gentes audiatis, praeterea quia difficillimum eſt de tam nefando, & occulto facinore ſine teſtibus aliquid certi poſſe pronuntiare. eadē ratio in ceteris circumſtantijs valebit. quanto autem maior vbertas ſuppetet argumentorum, ſi cum ex diuerſis generibus circumſtantiarū,

stantiarum, atq. ex diuersis cuiusq. generis circumstantijs argumēta sumpserimus, in qua q. circumstantia totā eius qualitatem, quantacunq. est, diligēter perpēderimus: quod, vt conferam in pauca, multa argumenta ex varijs locis laudationis, id est ex qualitate personae Ciceronis petita ad superius exēplum accommodabo. vt Catilina dicet: *non esse credendum Cicroni sine testibus, quod nouus homo sit, obsecuro genere natus, ingenio versuto, & callido, gloriae cupidissimus, cuius artificium suspectum sit, ars fallax, & dolosa, qui in foro regnet, qui g. orietur se tenebras aliquando iudicibus offundisse, qui rēpublicā varijs modis versarit.* eadē ratione possent multa excogitari ex qualitate Catilinae, vt doceremus illi nō fuisse propositam proditiōē, atq. ex qualitate reliquarum circumstantiarum: sed istud esset in infinitum progredi. ex hoc exemplo illud etiam fiet perspicuum, si copia argumentorum in causa aliqua abundauerimus, posse nos ea breuius vna comprehensione concludere. quod si pauca suppetant argumenta, quod non fiet vitio oratoris, sed pro natura quaestionis, vt saepe in statu definitiuo, vtilissimū erit in illis cōmorari, ita vt varijs figuris illa expoliamus, & fere eodem reuoluamur: vt, quod negantes semel extulimus, iterum interrogantes profera

proferamus, & quod recto sermone a nobis pronunciatum fuerit, conuersa iterum ad alios nostra oratione enunciemus. sed haec missa faciamus, quia elocutionis potius sunt, quā inuētionis: nunc aliquod exēplum proferamus huius artificij ex sexcentis, quae apud M. Tullium leguntur. in ea igitur pro Sex. Roscio, cum ostendit patrē a filio occisum non esse, his locis vtitur, cū inquit: *patrem occidit Sex. Roscius. qui homo? adolescens corruptus, & ab omnibus nequā inductus? annos natus magis quadraginta,* hoc argumentū primū ab aetate, id est a qualitate personae. addit deinceps: *vetus videlicet sicarius, homo audax, & saepe in caede versatus: at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis.* hoc alterum argumentum ex moribus, & actionib. Roscij petatum, quod est quoq. ex personae qualitate sumptum. sequitur tum argumentum ex causa, *luxuries igitur hominē nimirum, & aeris alieni magnitudo, & indomitae animi cupiditates ad hoc scelus impulerūt.* vides hic tres causas necandi patris a M. Tullio propositas, quas postea refellit, vt appareat verū esse, quod supra docuimus, nō solum ex diuersis circumstantiarum generibus, verum etiam ex diuersis cuiusq. generis circumstantijs, & ex varia singularum qualitate posse argumenta multa

depromi. sed quorsum ista exempla conqui-
runtur, cum tota ea oratio, & ceterae abun-
dent huiusmodi exemplis? quod proximū
igitur est, ostendamus, quae ratio sit dilatā-
di inuenta argumenta.

De ratione dilatandi inuenta argumenta.



Nuenta argumenta sex fere
modis dilatarī solent: a simili,
ab exēplo, a cōtrario, a maiori,
a minori, a pari. nā testimonia,
quae huc referri voluit inter-
pres Hermogenis Doxapatri, plane habēt
vim exemplorum. exempla igitur sunt,
quae ex factis, aut dictis personarum petun-
tur: vt, *Athenenses, cum se totos philisophae
tradidissent, optime Remp. administrarunt,
vos si eadem studio operam nauetis, recte Remp.
vestram gubernabitis.* Demosthenes fere exē-
pli subiicit aliquam sententiam, vt huic
exemplo subiunxisset illud: *Philosophiae cer-
te cognitio plurimū valet ad rerū omnū admi-
nistrationem.* quod si ex ceteris animalibus,
aut stirpibus argumētū ducatur, nō erit pro-
prie exēplū, sed similitudo potius, aut pa-
rabola: vt, *proponite vobis exemplum formica*

rum

rum, quae rationibus suis, & commodis prospici-
entes magnam vim frumenti aestate colligunt,
vt, cum hieme prodire non possint, habeant ali-
quid, quo vescantur. difficilius autē est argu-
mentum a pari distinguere ab exemplo, &
a similitudine. negari siquidem non potest,
quin multa exempla paria sint, & multa itē
similia. dicam igitur exempla ex factis, &
dictis certarum personarum duci, paria ve-
ro non ex certis, aut singulis personis, sed
ex communibus, atq. etiam ex alijs generi-
bus rerum peti: vt a pari illud concludetur,
*si non est optimus auriga, qui sorte eligitur, neq.
gubernator, neq. imperator, qui sorte praeficie-
tur, optimus censendus erit.* in hoc argumen-
to non sunt certae personae, sed commu-
nes, & generales. in hoc autem etiam a pa-
ri nullae erunt personae. si dialectica, cum
sit ars, sinem aliquem spectat, & rhetorica, cum
ars quoq. sit, aliquem sinem intuebitur. similitu-
do ea maxime, quae longius disiuncta sunt,
coniungit: vt, *quemadmodum agri, nisi bene
colantur, fructus uberes, & copiosos non reddunt,
sic hominum animi, nisi assidue exercentur,
ingenij celeritate, & copia non abundant.* Doxa-
patri aliter similitudinem ab exemplo sepa-
rauit: melius tamen Hermogenes facere
videtur, qui de hac subtilitate non laborat,
dum huius artificij vltus intelligatur. illud

O 5

certe

certe diligentius obseruandum est, cum a M. Tullio, aut ab alio quouis oratore argumentum primum ex aliquo horum sex locorum sumitur, non esse illud primum argumentum, sed in eo illud, quod vere primum erat, inclusum latere: vt si ex Liciniana ita concludas: si Colophonij, Chij, & aliae gentes Homerum alienum, vt in suam ciuitatem ascriberent, tantopere laborarunt, nos Archiam ciuitate nostra donatum non retinebimus? argumentum certe videtur a minori, non est tamen hoc primum, sed illud a rei circumstantia, quod reconditum latebat, quod suum est, & proprium cuiusq. ciuitatis, in ea retinendum, & seruandum est. Archias autem ciuis noster iam est. hoc autem argumentum a rei circumstantia sumptum dilatatur illo a minori: nam si aliena vt comparamus, tanto studio laboramus, nostra, & quae parta iam sunt, maiori studio tueri debemus. vera igitur est sententia Fortunatianus hos locos non in ipsa re, sed circa rem versari. sed reliquorum locorum exempla proferamus. a maiori: si de hoc non intelligit, neq. discipulus hoc intelliget. a minori: si discipulus hoc intelligit, & magister. a contrario: si barbarorum est in diem venire, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. a testimonio: incumbendum est vobis in studia sapientiae. Platonamq. inuefore

fore beatas respublicas pronunciauit, cum aut sapientes regnarent, aut reges philosopharentur. fieri autem potest, vt in circumstantijs supra demonstratum est, vt duo, aut plures ex his locis in vnum conferantur: vt, si Theophrastus tanta dicendi copia, atq. suauitate praeditus habiturus orationem, cum dicere vellet, obmutuit, tu qua confidentia in hunc locum prodis? nam & exemplum est, & a maiori depromptum. nunc aliquid ex his locis accommodemus vni themati, ex ijs, quae in argumentorum inuentione proposuimus, vt appareat, quibus gradibus, & quantum hoc artificium procedat. sit itaq. illud: aliquid noui hoc tempore belli a vobis fieri debet. argumentum igitur a persona erat: quia estis Romani, qui semper in bello tempori paruistis. quod argumentum ab exemplorum multitudine sic confirmabis: maiores vestri ex usu Reipublicae reges exegerunt, decemuiris imperium prorogari passi sunt, tribuniciam potestatem sacrosanctam esse voluerunt, Scipionem ante legitimum tempus consulem crearunt. a minori: patres familias, cum ex re sua est, aliquid nouum instituant. a contrario: si pacis tempore aliquid noui fieri patimur, tempore belli id admittendum non erit? exemplis Tullianis hoc loco supersedebimus, quia omnes M. Tullij orationes

orationes his refertae sunt, & facile, cum occurrunt, intelliguntur. illud tamen multos conturbat, quod vix argumenta solum dilatata, quin alia fiat accessio reperiantur apud priscos oratores. inueniuntur enim & illustrata, vt illud pro Archia. nã, cū do cuisset ornandum, & amandum Archiam ex qualitate personae, id est ex eius facultate in versibus ex tempore dicendis, in eadem sententia multis modis commutanda, in accurata suorum operum conscriptione, interposuissetq. tanquam sententiam, diuinū quiddam esse poeticam, eamq. ratione, testimonio Ennij, & exemplo a minori, aut, vt voluit Doxapatri, a simili comprobasset, redit ad superius argumentum, & illud dilatat exemplo Homeri his verbis: *Homertum Colophonij ciuem esse dicunt suum, Chisuum vindicant, Salamini repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant: itaq. etiam delubrum eius in opido dedicauerunt. per multi alij praeterea pugnant inter se, atq. contendunt.* vides in his verbis nihil esse nisi nudū exemplum: quasi ita totus locus a principio tractetur, *colonestandus Archias.* haec propositio negotialis ex aequo. deinde cōfirmatur ab eius actionibus, *multa siquidem poemata perfecta composuit.* tum exemplum: *nam & Homertum multae gentes ornauerunt, de*

eoq.

eoq. in patriam suam ascribendo inter se contendunt. concludamus igitur hanc disputationē, sit eius haec sūma: si singula argumenta possunt multis locis dilatari, ex singulis praeterea capitibus cuiusq. status tanta existit copia propositionū, eaeq. possunt tāta argumentorum copia, atq. varietate confirmari, aut refutari, quam late patebit haec ratio excogitandi argumenta ab Hermogene inuenta? sed longius etiam fines suos adhuc propagabit, cum cognita fuerit ratio, qua maxima vis additur argumentis inuentis, & dilatatis, vt firmissima, & vt verbo Hermogeniano vtar, acerrima ad persuadendum reddantur. de ea igitur deinceps agendum.

De entymemate, & epenthymemate.



Nthymema itaq. vocatur ab Hermogene ad summum perducta ratio. nam ultra entymemata negat Hermogenes facultatem persuadendi oratoriam progredi posse. hoc igitur genus rationum omnium firmissimum, & acerrimum, quo modo fieri possit, exponamus.

expositio

exposito itaq. argumento, & addito loco, quo illud dilatatur, si comparaueris argumentum cum loco dilatationis, ita vt in aliqua circūstantia, aut eius qualitate, aut multis certe conferantur, existet enthymema. quantam autem vbertatem suppeditabant circūstantiae argumentorum, tantam & enthymematum, si quis attente velit considerare, largientur. sed exempli haec illustremus, & vt certius animaduertatur, quibus gradibus, & quatenus haec facultas procedere possit, thema supra propositum repetamus. *noni aliquid fieri debet hoc tempore, vt omnia scilicet ad unum Pompeium deferantur, vt sit questio congruens orationi Manilianae.* argumentum hoc erat a persona: *quia Romani semper tempori paruitis.* ad quod dilatandum multa exempla congeriebantur, ex quibus sit vnum illud de decemuiris, quibus imperium nouo instituto prorogatum fuit. conferamus nunc hoc exemplum cum illo argumento ex circūstantia personarum, concludemus sic enthymema: *maiores vestri Appio Claudio homini libidinosissimo, qui dominatum, & tyrannidem appetebat, imperium prorogauerunt: vos Pompeium omni genere laudis, & virtutis omnium clarissimum, tantis rebus non praescietis? a tempore fiet alterum enthymema*

maema hoc modo: *illi in pace ad novos casus, noua consilia accommodauerunt: vos, cum ita opprimamini tantum belli magnitudine, tempore non pareritis? & tertium addi potest ex causa: illi ad ornandam tantum legibus rempublicam aliquid praeter consuetudinem fieri permiserunt: vos ad hostes a ceteris, & potentissimos a vestris sinibus propulsandos, ad libertatem vestram defendendam aliquid nouum, & inusitatum in Populo fieri non patiemini?* haec sunt enthymemata: haec orationum firmamenta: quae cum varie, & certe tractantur, sententiam, & orationem amplificant, animos auditorum vehementer incidunt, atque de illis, & de aduersariis victoriam reportant gloriosissimam. sed vt varie proferri possint, in disputatione de figuris orationis, & ideis, atque vno verbo, in elocutione copiose exponetur. fiet autem enthymemata plenissima multis interpositis circūstantiis, aut earum qualitatibus: quod vno tantum exemplo planum faciemus, eoque illustri ex libris de oratore M. Tullij, Catulus Crassum laudat: ex quo etiam intelligi poterit vim istam enthymematum non solum in forensibus causis, verum etiam in exornatione, & quieto genere dicendi plurimum valere. haec igitur est oratio Catuli: *quo quidem magis dubito, tibi ne plus laudis, an Graecis vituperationis esse tribuendum statuam: cum tu in alia lingua,*

Libro. 3.

gua.

gna, ac moribus, occupatissima in ciuitate, vel priuatorum negotijs pæne omnibus, vel orbis terræ procuratore, ac summi imperij gubernatione districtus, tantam vim rerum, cognitionemq. comprehenderit, eamq. omnem cum eius, qui consilio, & oratione in ciuitate valeat, scientia, atq. exercitatione sociaris: illi nati in litteris, ardentesq. in his studijs, otio vero diffluentes, non modo nihil acquisierint, sed ne relictum quidem, & traditum, & suum conseruauerint. quod ita a principio retexetur, laudandus Crassus, haec est propositio: quae confirmabitur argumento ab actionibus, quod tantam rerum cognitionem eloquentiae adiunxisset. quod argumentum dilatabitur contrario exemplo Graecorum, qui neq. acceptam a maioribus eloquentiam conseruare potuerant. tum enthymemata multa conglobata, aut vnum certe circumstantiarum multitudine amplificatum. illud quoq. hac ratione possumus efficere, vt quoties bina, aut terna exempla occurrent, aut certe plura in genere demonstratiuo ea inter se comparemus: quod vno exemplo, eoque breuissimo poterit probari. Anaxagoras tulit aequo animo nuncium acerbissimum de morte filij. nec mirum: philosophus erat, qui in morte nihil esse mali persuasum habent multis argumentis, usq. firmissimis. at Aemilius Paullus, cum Phi-

losophiam

losophus erat, qui in morte nihil esse mali persuasum habent multis argumentis, usq. firmissimis. at Aemilius Paullus, cum philosophiam non attigisset, patientissime obitum non vnius, sed duorum filiorum pertulit, & tēpore quidem triumphi. hoc loco obseruandum etiam illud est a M. Tullio propositis argumentis statim enthymemata adhiberi, quod argumentorum dilatatio satis nota sit, aut certe, vt acrior sit oratio, quae dilatationis vim habent vt exempla, ea enthymemate coerceri: vt in Maniliana, cū persuaderet a glorioso bellum contra Mithridatem suscipiendum, vt iniuriam illatam a Mithridate populo Romano, quae tanquam macula quaedam infederat, delerent, confirmat illud primum ex qualitate personae Romanorum: quia semper appetentes laudis, & gloriae fuerant, deinde dilataturus hoc argumentum exēplis maiorum, qui saepe bella propter iniurias acceptas intulissent, exempla enthymematis ita concludit: maiores vestri saepe mercatoribus, ac nauicatoribus iniuriis tractatis bella gesserunt, vos tot ciuium Romanorum millibus, vno nuncio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? legati, quod erant appellati superbis, Corinthum patres vestri totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt &c. haec certe exempla

P

sunt,

sunt, sed vt plus habeant firmitatis, more
 enthymematum proposita: illa vero, quae
 deinceps eodem loco sequuntur, mera en-
 thymemata sunt, cū eorum accessione ex-
 emplorum vis crescat, & augeatur, cum
 inquit: *illi libertatem civium Romanorum im-*
minutam non tulerunt: vos vitam ereptam ne-
gligetis? ins legationis verbo violatum illi per-
secuti sunt: vos legatum populi Romani omni
supplicio interfectum inultum relinquetis? in
 his enthymematis exempla illa amplifican-
 tur, contentione causae, & modi, quasi di-
 cat, illi propter libertatem, vos propter vi-
 tam ereptam bellum inferetis, illi iniuriam
 verbo tantum factam vlti sunt, vos re ipsa
 illatam vlcisci debetis. huiusmodi igitur
 sunt enthymemata: ad quae maior etiam fit
 accessio epenthymemate, vt demonstravit
 Hermogenes. epenthymema autem fit iudi-
 cio illius dupliciter: vno quidem modo, cū
 enthymema, quod antea a nobis proposi-
 tum fuit, repetentes, coniungimus cum eo
 alterum enthymema, quasi videatur aliquid
 superiori deesse: vt in superioribus exem-
 plis hoc erat enthymema a causa petitum:
maiores vestri ad rempub. tantum legibus or-
nandam imperium prorogari decemviris volue-
runt: vos ad libertatem vestram defendendam,
& hostes acerrimos propulsandos Pompeium ite-

rum

rum tantis rebus non praeficietis? si igitur hoc
 enthymema interponas in altero ex perso-
 na fiet epenthymema hoc modo: *illi Appio*
Claudio libidinosissimo homini, & qui tyrannidi
studebat, ad rem publicam tantum legibus or-
nandam imperium propagari permisissent: vos
Pompeium virum tanta vitae integritate dabi-
tabitis iterum vestris rebus praepone, ad liber-
tatem vestram defendendam? altero modo
 fit epenthymema, cum enthymema primū
 non interponitur, sed cum totum proposi-
 tum fuerit, ad extremum fit ei noua quae-
 dam accessio alterius enthymematis, vt a-
 crior fiat argumentatio, & vehementior. id
 perspicuum fiet in hoc ipso exemplo hoc
 modo: *maiores vestri ad rem publicam tantum*
legibus ornandam imperium decemviris pro-
rogari voluerunt: vos ad libertatem vestram de-
fundendam Pompeium iterum vestris rebus
non praeficietis? praesertim cum tanti belli
calamitas vobis impendeat, cum illi in pace
praeter institutum, & consuetudinem impe-
rium prorogassent. hoc genere epenthyme-
 matis videtur vsus M. Tullius in Mani-
 liana, cum transit a secundo argumento ad
 tertium, quibus suadet bellum Mithridati-
 cum suscipiendum esse, cum inquit: *qua-*
re, si propter socios nulla ipsi iniuria laces-
siti maiores vestri cum Antiocho, cum Philip-

P 2

po,

po, eum Aetolis, cum Poenis bella gesserunt, quanto vos studio conuenit iniurijs provocatos sociorum salutem una sum imperij vestri dignitate defendere? praesertim cum de vestris maximis vectigalib. agatur. ita fiunt enthymemata ad diuis epenthymematis quam firmissima, & ut loquitur Hermogenes, quam accerrima. ita argumenta, cum inuenta, & dilatata, atq. exposita fuerint, ad summum, & sine vlllo ficto argumēto perducuntur. quod si fictis argumentis vti velimus, quattuor alia genera excogitauit Hermogenes, quib. dilatata argumenta ad summum preuenire possent, ac praesertim exempla, & contraria. vnum itaq. genus argumenti ficti est, cum id quod factum est, fingimus non fuisse factum: vt in superiorib. exemplis. si maiores vestri imperium decemuiris non prorogassent, nullam iam pridem rempub. nullum imperium haberetis: nunc, cum prorogato eo imperio, repub. optimis, & legibus, & moribus constituta fruamini, Pompeium iterum imperatorem non constituetis? alterum contra genus fit, cum id, quod factum non est, factum esse fingimus: vt in eodem argumento Manilianae: si L. Sylba, si L. Murena, si L. Lucullus Mithridatem regem funditus deleuissent, nec quicquam reliquum alijs fecissent, nulla vobis reliqua fuisset de imperatore praeficiendo delibe-
ratio

ratio, nunc cum isti imperatores non victoriam, sed insignia tantum victoriae de eo reportarint, dubitandum vobis est, quin tantis belli acerrimi reliquis Pompeium clarissimum imperatorem praeficiatis? tertium fit, cum fingimus, si quispiam promitteret aliquid: vt, si quispiam ad vos accederet, ac polliceretur se vobis imperatorem allaturum, in quo singularis esset militaris sciētia, eximia virtus, incredibilis auctoritas, summa felicitas, dubitaretis ne eum tanto bello praepone: nunc, cum praesentem intueamini Cn. Pompeium, in quo haec omnia in sunt, cur ad eum omnia deferre dubitabitis? hoc tamen genus argumenti ficti aptius cadit in eas causas, in quibus est aliqua praemij petitiō: vt qui tyrannum occiderit, praemium petat hoc modo: si quis cum tyrannide premebamini, vobis promississet se perfecturum, ut tyrannus necaretur, quae praemia, & quā ampla illi promississetis: nunc, cum tyrannum me a manu interfecerim, me iusto, & debito praemio priuari patiemini? extremum genus argumenti ficti fit, cum fingimus contrarium eius, quod factum est: vt, si hic rempublicam vastasset, eum inultum non reliquissetis, nunc cum eā tot, tantisq. generib. ornamentorum affecerit, quo studio eum prosequemini? ex his generibus illud extat apud Aristotelem. quod ad promissa pertinet, quod ille tamen ab animad-

Libro. 2.
Rhet.

Libro. 5.

uersione temporis nominauit, illustrauitq. exemplis, quale illud Iphicratis in ea quam contra Harmodium habuerat: *si priusquam facerem, a vobis statuum postulassem, si fecissem, concessissetis: cum autem fecerim, non permittetis? ne igitur cum beneficium expectatis, promittatis, cum vero accepistis, auferatis.* haec genera argumentorum scribit. Quintilianus καὶ ὑπόθεσις a Graecis vocari, ex omnibusq. locis huius posse, profertq. eorum exempla Tulliana. cuiusmodi illud ex ea pro Murena: *si Catilina cum suo concilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset iudicare, condemnaret. L. Murenam.* sed Quintilianus longius ista produxit, cum ex omnibus locis sumi posse argumenta ficta voluit. neque verò mirum, si quae alia ficta praeter haec quattuor genera reperiantur, cum Hermogenes fateatur etiam plura inueniri posse, sed sibi dictanti hanc artem, cū vrgeretur, haec tantum occurrisse. haec est ratio ab Hermogene inuenta, qua sine vilo errore, quin a proposito themate aberremus, possimus, quantum patietur rei natura, copiam propositionū, & argumentorū quā vberrimā reperire, & argumēta inuēta quā latissime amplificare, atq. ad eam, cui nulla fieri possit accessio, persuadendi vim perducere. neq. vero haec vbertas, & copia

de-

demōstrata est ab Hermogene, vt cū dicendū, aut scribendū nobis de re aliqua fuerit, omnia, quaecūq. hoc artificio poterūt excogitari, effundamus. modū tenere in hac varietate oportet, & ad certos vsq. fines ingenij, & artis vim, atq. facultatē proficere. leuia, & vulgaria saepe reijcienda, graua, & quae magis nostrae causae conuenire videbuntur reuenda. multa plerumq. breui ambitu concludenda, & singula aliquādo propaganda: quin & cū copia deesse videatur, diutius in singulis varia elocutione ita commorandum, vt cum pauca proferas, multa dixisse videaris. sed qui diuenerit tātam vim argumentorum, & propositionum reperisse, nisi quo ordine collocanda sint, tenuerimus, cum saepe numero vis argumentorū perturbato ordine amittatur. quare postulare videtur series huius institutae disputationis, vt de eorum ordine disseramus.

De ordine argumentorum.



Vos tantum ordines argumentorum indicauit Hermogenes: quorū vnus est, vt antecedāt ea, quae habent vim probandi, sequantur vero ea, quae ad amplificandū magis sunt accommodata, & ad ostentationem popularē aptiora. ita enim crescet

vis orationis, & gratior accidet auditoribus. hic ordo frequentissimus apud M. Tullium, vt ex vna Sextiana colligi potest. hinc in argumentationis ordine argumenta, & exempla primum collocantur, deinde enthymemata, epenhymemata, atq. ficta argumenta. hinc in capitibus in quibus eadē ratio valet, antecedunt, quae valent ad persuadendum, sequuntur, quae ad amplificandum sunt comparata. alter ordo est, vt id, a quo alterum oritur, & excitatur praecedat, & alterum sequatur: vt in capitibus voluntas antecedit potestatem, cum potestas a voluntate excitetur. sic & in solutionibus aliquando entasis antiparastasis praecedit, aliquando contra antiparastasis prius collocatur, quod haec entasim excitet. hi sunt duo ordines naturales expositi ab Hermogene: nam tertius ille vulgo receptus, qui ex Cornelio Celso legitur apud Fortunatianum, vt infirmiora inter firmissima quaeque collocentur, fortasse relictus ab Hermogene. quod argumentatio isto ordine videatur vim suam dimittere, quam ille semper contendit voluit. in defendendo etiam, aut certe in refutando aduersario vtilius est, quae leuiores videbuntur, prius refellere: vt detracta fide aduersario, facilius in animos auditorum recipiamur, cum ad

diffi-

Libro.3.

difficiliora confutanda accedemus. Capella tamen aliter sentit, vbi maiora, & inuidiosiora purganda fuerint, ab ijs sumi refutationis initium oportere: vt in Cluentiana, coniecturae partibus expeditis, accedit M. Tullius ad legis praescriptionem, ne, si Cluentium legis assertionem non defenderet, diffidere, & causam subterfugere videretur. nam reliqui octo modi, qui afferuntur a Fortunatiano, ad totam potius orationem disponendam, aut certe confirmationem, quam ad argumenta pertinent: de quibus in methodo prudentiae aliquid disputabitur. ac de ea parte confirmationis, quae in probando magis, quam in amplificando sita est, satis dictum videtur: nunc de altera, quae ad amplificandum magis, quam ad probandum pertinet, breui disputemus.

De ratione amplificandi signa.



Vo sunt igitur in hac disputatione exponenda: vnum, quo modo signa, id est facta, dicta, aut praetermissa amplificari possint, quae ratio poterit etiam ad exempla transferri, alterum, qua ratione tota causa extendi, & dilatari possit. ac prior quidem

P 5 ratio

ratio est maxime necessaria ad caput illud quantitatis pertractandum, cuius in omnibus fere statibus mentio facta est, & ad signa in coniecturali augēda. quin & ad propositionem cuiusq. status amplificandam, si ea ex circumstantijs sumatur, neq. caput quantitatis, aut comparisonis in eo statu locum habeat vt in trāslatiuo. nam alioqui modice propositio amplificanda, atq. vehementior amplificatio in caput quantitatis reijciēda. haec autē ratio amplificādi signa ante alteram traditur, quod magnum ad illā illustrandam afferat adiumentum. facta ergo, aut dicta, aut praetermissa amplificabuntur quam copiosissime, si quis vnum quodq. eorum ab initio ad finem totum semel comprehenderit circumstantijs, & earū qualitate quam breuissime fieri poterit distinctum, & notatum, non tam omnib. quidem, quā earū grauissimis, vt arrepta deinde ex singulis verbis occasione signi totius comprehensio quam longissime, & quā latissime propagetur. quod fiet hac ratione, vt in singulis verbis subdiuisiones, vt loquitur Hermogenes, adhibeātur, id est, vt singula cōferantur cum minorib. quod est omnium frequentissimū, aut cum paribus, aut, quod omniū est rarissimum, cum maioribus, vt hac contentione facti, aut dicti, aut omissi

omissi magnitudo appareat. exēplo autem breui, & facili haec praecipio intelligetur. *quidam filios tres necauit. filios: si alienos, si peregrinos, si eos, qui nulla necessitudine eum attingebant, aut aliquem etiam ex ceteris propinquus necasset, iniquo animo ferretis: nunc cum filios, quos genuerat, educarat, erudierat, pro quibus etiam vitam, si opus esset, profunderere debebat, necarit, ecqua animi moderatione illud perferendum censetis? tres: si vnum vita primasset, irasceremini ei infensissime, si duos, multo infensius, tres autem cum interfecerit, quis non grauissime ei succēsebit? necauit: si eos tantum pulsasset, aut verberib. cecidisset, esset illud fortasse ferendum, cum autem eos necarit, quos genuerat, quis non illum hac luce priuandū existimabit?* hac methodo possunt illustrari responsa acuta, & apophthegmata clarorum virorum. Huiusmodi est illud Tullianum de vomitu ex. 2. in M. Antonium: *in coetu vero pop. Romani negotium publicum gerens, magister equitum.* in hac autem ratione, nequa satietas ex similitudine consequatur, adhibenda est magna varietas figurarum, de quibus postea disputabimus. possunt etiam in his tractandis singulae cōparationes breui ambitu, id est, periodo cōcludi, vt fiant acriores. possunt & commoratione dilatari, vt additis incis, quae idē valeant,

valcant, & sententia eadem ex contrarijs duplicata: vt in hoc exemplo vides factū fuisse. sed de ratione commorationis, quam *πρόμα* Hermogenes appellat, & de periodo paullo post in figuris orationis disputabitur. multae quoq. ethopoeiae verae, & quae speciem illarum habent, in his adhiberi possunt. quin & post singulorum verborum subdiuisiones elegantissime collocari solent argumenta ficta: de quibus supra disputatum, illa praeterea, quibus argumenta dilatari docuimus, in his amplificandis locū habent. quae omnia, si exemplis sigillatim illustranda essent, nunquam scribendi finē faceremus. satis autem singula exemplis ornata a nobis fuerunt, cum de singulis disputaremus. quinq. certe libri posteriores in Verrem M. Tullij multa huius exercitationis exempla suppeditabunt, atq. aliae eiusdem orationes: vt secunda Philippica, in themate autē illo, quod a nobis supra propositum fuit, praecclare haec ratio amplificandi exercebitur, si facinus illud flagitiosissimū, quod voluit admittere Appius Claudius in filia P. Virginij violanda, exaggerauerimus, si caedem praeterea filiae paterna manu factam, ne ea vitaretur, magno verborum, & sententiarum pondere minutatim exposuerimus. sed his omīssis, quomodo
fiat

fiat aliquādo comparatio cum paribus, aut cum maioribus doceamus. a pari, vt in exemplo illo Hermogenis: magus quidam cum filiam cuiusdam ciuis in matrimonium ducere cupiisset, neq. id impetrasset, puella cuiusdā simulacri amore capta fuit, magus reus fit veneficij. sic igitur proponetur breui factum *puella amat simulacrum*: quod ita subdiuidetur a nomine simulacri, *si virum alium, aut te ipsum amaret, non ego te veneficij accusarem*: deinde subdiuidemus verbū amandi a pari, aut a simili, vt ait Hermogenes, non a re ipsa: hoc modo, *si non amaret, sed alio morbo corporis aegrotaret, non ego te veneficij postularer*. quod item verbū amandi posset dilatari argumento ficto a contrario: *si puella capta amore simulacri non esset, si eius studio non arderet, non vocarem ego in iudicium tua veneficia: nunc, cum simulacri amore incredibili incensa sit, ecquis te veneficij non postulabit?* a maiori commodum fit diuisio, cum precio aliquo, aut gratia nos aliquid facturos negamus: vt in illo exemplo Hermogenis, miserat Philippus Rex Macedoniae centum talenta Atheniensibus, vt Demosthenem illi traderent: a minori igitur sic amplificabitur praetermissum, *his ego talentis non Hyperidem, non Aeschinem, sed neque plebeium, neq. opificem, immo ne perditissimum*

simum quidem, & omnium civium inutilissimum traderem, naedum Demosthenem fortissimum, & constantissimum virum, cuiusq. prudentia, & eloquentia vindicata est uniuersa Graecia in libertatem. a maiori autem sic, centum talenta pollicetur: non si mille, non si centum myriades, non si omnia opida, omnes vrbes, omnes prouincias, quae in eius ditione, & imperio sunt, mihi largiretur, Demosthenem, qui nos, uniuersamq. Graeciam in pristinam libertatem asseruit, ei traderem. in hac ratione amplificandi, ut vitetur fatietas ex similitudine comparationum, varianda est oratio figuris, ut docet Hermogenes: ut in exemplo de patre, qui tres filios necauerat, dices: *alius quidem te odio inferissimo persecutus esset, quod filio fustem impigisses, at ego huius errati veniam tibi dedissem: nunc, cum illum occideris, ecquis tibi illud condonabit? aut aliter, si verberibus illum cecidisses, non lueres poenas eius facti, sed, cum illum interfeceris, omni genere supplicij es dignissimus. aut alio modo, ego, vel si aliquem ex tuis ceteris propinquis, quin etiam si alienum, & qui te nulla necessitudine attingeret, occidisses, poenas eius caedis a te repetissem, cum autem filium, quo nihil tibi carius esse debebat, necaris, speras te impune abiturum?* in his exemplis, ut voluit Hermogenes partim a poena ad ipsum faci-

nus,

nus, partim a facto ad poenam progredimur. quod & in alijs eodem modo variandum: in his item exemplis, quod in omni subdiuisione fieri oportere idem praecipit, facta primum quadam concessione ad illud conuellendum redimus, quod antea concessum fuerat. itaq. fit oratio vehementior, & sensus acrior, quod magno studio tota hac arte vndecunq. potest, conquirat Hermogenes. quod si aliquid subabsurdum lateat in aliqua subdiuisione, non cum interrogatione, neq. instar reprehensionis, sed lenius, & affirmative proferenda est. neq. enim dices: *nonne ego te accusassem. si filium pulsasses?* alienum siquidem a ratione hoc videretur, sed, *quia filium tuum pulsasti, non ego te in iudicium vocabo.* haec de ratione amplificandi signa, nunc altera amplificandi ratio exponenda, quae totam causam complectitur.

Ingle
na In. na
mer sit de
neditum

De ratione amplificandi causam totam.

Haec methodus longe omnium utilissima est in hac arte. hac enim commentatione, & meditatione totius causae fit, ut nunquam oratori facultas, neq. copia, neq. varietas verborum, & sen-

In poëti.

sententiarum deesse posse videatur. sed, ne videamur contra praecepta huius artis facere, qui rem prius exaggeremus, quam narrauerimus, totum hoc artificium Hermogenis, quâ facillime fieri poterit, aperiamus. ut igitur poëtae, antequam conscriptione sui operis aggrediatur, perspicenda est breui comprehensa summa totius fabulae, & actio illa princeps, quae tota continetur, ut docuit Aristoteles, deinde accurate videndum, qui exitus datur in singulis eius actionis partibus, aut dari possint, ut episodis, id est, digressionibus poëticis opus augere possit, descriptionibusq. varijs, atq. ethopoeijs illud ornate amplificare, sic orator prius, quam causae dictionem aggredietur, tota causa diligenter, & accurate cognoscenda est, idque quam breuissima fieri poterit comprehensione, sed ita breui, ut ab initio ad finem eius causae seruata serie temporum nihil praetermittat, quod ad id, de quo agitur, magni interesse existimetur, ut in Maniliana haec erit comprehensio ab initio ad finem: *cum ceteri imperatores, quos ad Mithridatem oppugnandum haecenus misistis, bellum illud conficere non potuerint, ultimusq. eorum Lucullus una cum exercitu contumeliosissime inde redierit, Mithridatesq. nunquam sibi conuiescendum arbitretur, nisi cum*

uestrum,

uestrum imperium funditus deleuerit, mittendus est eo Pompeius imperator, qui vnus videtur hoc bellum posse conficere. hac igitur proposita comprehensione tria tempora sigillatim consideranda, eaq. dupliciter, ut quae vera, quaeq. verisimilia in eis insint, vndique, & studiose exquiramus: quae scilicet ante id tempus ab iis, qui ei bello interfuerant, facta, dicta, praetermissa, quaeq. fieri, aut dici, aut omitti potuerint, apud quos, pro quibus, contra quos, quo loco, quo tempore, quo reum statu, quibus hominum, qui ibi intererant, atq. absentium, & externorum affectibus, quibus iudicijs, tum quae huiusmodi in rem praesentem conueniant, postremo quae consecutura huiusmodi videantur, aut certo quidem, aut verisimili quadam coniectura. hic quâ multae descriptiones omnium circumstantiarum fieri possunt praeter quâ causae? quot ethopoeiae, quam multa ex reliquis progymnasmatis, quam multae signorum amplificationes? quot comparationes cum historijs veris, aut fictis ad orationem exaggerandam arrepta ex singulis vocabulis, cum commode fieri poterit, occasione? hac igitur trium temporum distributione, & his ornamentis descriptionum, ethopoeiarum, amplificationis signorum, & comparationis cum historijs

voluit

voluit Hermogenes totam causam, cum eā meditaremur, a nobis amplificari: vt ex hac commentatione sensuum optimorum plenissima, quae cōmoda viderētur cū delectu prudenti in nostram dictionem, aut conscriptionem transferremus. hinc in illa nobili oratione Maniliana amplificatur, sed breui, neque enim omnia effundenda, caedes illa crudelissima tot millium ciuū Romanorum a Mithridate facta: hinc in eadē fuga Mithridatis mirifice describitur, illustrata etiam naratiuncula poetica: hinc descriptio illa voluntatis omnium Asianorum & Graecorum addita illa ficta ethopoeia: *hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogāt* &c: hinc breuis Asiae descriptio, & altera impēdentis hostium irruptionis, ex qua metus publicanorum, atq. eorum, qui exercent vectigalia exprimitur. describi autem ibi fuga militum Romanorum foeda, atq. turpis potuisset, & clades illa maxima a Luculli exercitu accepta: quas tamen prudētissime M. Tullius praetermissit. illustris etiā illa descriptio celeritatis, qua Pompeius totum hoc mare mediterraneum a piratarum periculo liberauit: illa vero ficta argumenta occulta latent: *si Sylla, si Murena non insignia victoriae, sed victoriam reportassent: illud vero elegantissimum optatione*

exor-

exornatum, *utinam tantam copiam virorum innocentium, & fortium haberetis* &c. ille praeterea locus elegantissimus in quo describit detrimenta a piratis Italiae importata, cum tot occultis subdiuisionibus tandem, vt cetera omitteram, illa iudicia amplissima omnium gentium de Pompeio, & eius virtutibus: vt illud honestissimum, *itaq. omnes quidem nūc in his locis Cn. Pompeium, sicut aliquē* &c. in hac igitur oratione pro lege Manilia multa huius exercitationis vestigia apparēt quod mirandum non est, cum ad genus declamatorium, in quo mirabiliter haec exercitationes excellūt, proxime accedat, vt indicat idem M. Tullius in Oratore. illud autē nosse oportet ex amplificationibus signorū quae in orationem cadunt, maxime adhibendam eam, quae factum praecipuum totius causae illustrat, nisi illud sit turpe. tunc enim, vt placet Hermogeni, subdiuisiones in epilogos referuandae ad animos auditorum vehementius commouendos, & in confirmatione, cum comprehensionem facti praecipui proposueris, argumenta solum quaedam ficta subiicienda, non periodis illa quidem comprehensa, sed oratione magis soluta, & libera. talis erat actio Demosthenis in Cononem de vrina in

Q 2

illum

illum iacta, & matulis fractis. quanquam autem hae amplificationes signorum, & illae superiores tota fere oratione spargendae, tamen rebus potissimum praeteritis, & futuris accommodandae. nam quod praesens est, & recens, ac praesertim, si incertum sit, ut narratio potius confirmata explicandum: quia illa cum aut iam non sint, aut nondum sint, oculis subiicienda, quod sit apposite illis amplificationibus: quod vero instat, & praesens est, manifesto tenetur, neque necesse est illud sub aspectu poni. requiret fortasse aliquis hoc loco, qua ratione fieri debeant comparationes illae cum historijs veris, aut fictis arrepta occasione ex singulis verbis, aut ex aliquo certe comprehensionis: fiunt quidem ut subdiuisiones, quod erit manifestum proposito exemplo Hermogenis: *Lacedaemonij emerunt trecentos captiuos quos cum iugulassent ad trophea Leuctrica, postulantur iniuriarum a Graecis.* erit igitur haec comprehensio facti breui amplificata: *trecentos et mactastis crudeliter, & sine misericordia, ut victimas.* haec comprehensio poterit dilatari, si describamus, quae miseri illi captiui supplices flentes dicerent, & facerent, ex nomine tamen trecentorum occasio capiatur ad comparationes ex historia pertractandas hoc modo. *corrupistis numerum illu*

ue-

vestrum tantopere omnium praedicatione laudatum. perierant siquidem trecenti vestri apud Thyraeam, sed cum magna laude, & gloria more, & instituto militari: vos autem istos miseros, & calamitosos ut victimas mactastis. occiderat rex Alexander trecentos captiuos Thebanos ad Pylas, non tamen eos immolauerat: vos autem istis hostijs humanis aras templorum funestastis. eodem modo possent poetica exempla accommodari. neque vero committendum est, ut exempla ista, quae ex historicis, aut poetis repetentur, eodem isto artificio amplificemus. isto enim pacto amplificatio exitum non inueniret. satis illud erit, si exempla cum proposita comprehensione conferantur. atque haec de confirmatione, & de inuentione Hermogenis. nam de epilogorum inuentione nihil hoc loco sibi dicendum esse existimauit, quod in communi loco, & in statu coniecturali satis de illis disputasse videretur. accessit etiam ad illa ratio amplificandi hoc loco exposita, qua epilogi mirifice ornantur. haec sententia sic etiam potest confirmari. attribuunt vulgo scriptores huius artis tres partes epilogis enumerationem scilicet, indignationem, & commiserationem. ex his enumeratio, ut ait Fortunatianus, varie inducenda: quam varietatem persecutus est diligenter Apollonius, *de*

Libro. 2.

In arte.

Q3

de

*Libro. 4
Satir.*

*Libro. 3.
Rhet.*

de eaq. nos in methodo prudentiae disputauimus. illa tamen varietas non ab inuentione, sed ab elocutione tota proficiscitur: indignatio autem, & conuictio, siue commiseratio, vt docet eodem loco Fortunatianus, ex iisdem locis, vnde sumebatur argumenta fit, id est ex circumstantijs, quia illis non solum probamus, quod nobis propositum est, verum etiam & illud augemus, siue fiat enthymematis, siue amplificatione signorum, siue alia amplificatione. quanquam in affectibus commouendis non placet Aristoteli interponere argumenta, Macrobius tamen censet, confirmatq. exemplis illa adhiberi: nisi dicas illa non tam esse argumenta, quam dilatationes argumentorū, aut comparationes, quales sunt in subdiuisionibus amplificationum, sed cuiuscumque sint, circumstantiarum certe locis omnes indignationes, & commiserationes nituntur. quod satis declarabunt epilogi orationum Tullianarum. nam quod addit Aristoteles in epilogis conciliandos nobis animos auditorum, & ab aduersarijs auertendos, fiet eadem ratione, quae in exordijs est explicata. nam vere docuit Hermogenes epilogos hac vna re tantū differre ab exordijs, quod in exordijs haec omnia strictim attingimus, in epilogis vero eadem copiosius persequimur.

sed

sed quoniā de inuentione abunde praecepisse ex Hermogene videmur, nunc, quod supra recepimus, eā cū inuentione Aristotelis & M. Tullij, qui principes in hac arte tradenda fuerunt, paucis conferamus.

Quod ars inueniendi Hermogenis melior sit ceteris.



Aristoteles igitur prudentia quadā singulari tres fontes aperuit, ex quibus omnis inuentione oratorū manaret: vnū in oratione, qui locis argumentorum tum cōmunibus, tū proprijs cōtineretur, alterū in oratore, cū sua oratione fide dignus auditorib. videretur, tertium ex auditore, cū ita oratione nostra auditor cōmoueretur, vt in quē vellemus animi affectū illū impelleremus. quae ratio placuit illa M. Tullio quidem, sed rationem illam persuadendi, quae ex auditorum opinione de oratore sumitur, videtur angustius contraxisse, totamq. eo retulisse, vt leni quodā sensu orationis auditorū animos nobis conciliaremus. itaq. in Partitionibus mutata sententia omnē vim persuadēdi, & inuentionis ad duo tantū capita retulit, vnū fidei, quae fieret argumentis, alterū affectuum. neq. etiā in ra-

*Libro. 2.
de orat.*

tione illa prima persuadendi, quae argumentorum vi perficitur, Aristotelis iudicium plane secutus est. nam, cum Aristoteles locos argumentorū proprios alios, alios communes fecisset, tantoq. firmiter argumenta singula futura existimasset, quanto ex locis magis proprijs cuiusq. causae ducerentur, M. Tullius copiosam potius, quā certam, & firmam persuadendi rationem spectans, locis quibusdam communibus, quos ille ex Topicis Aristotelis collegerat, videtur plusquam reliquae inuentioni tribuisse. itaq. ex ijs flumen illud eloquentiae erumpere pronunciauit, quod ipse aureū ab Aristotele fundi aliquādo affirmauerat, qui autē locos proprios cuiusq. generis causarū sequerentur, eos riuulos cōsecrari dixit, quasi inops, & tenuis ea ratio illi videretur. quin & corroborata magis aetate, quasi tēpori, & cōsuetudini parere cogere, locos proprios cuiusq. generis causarū se tacturū recepit, satis esse ei, qui de quavis re disputare vellet, locos illos communes tanquā thesauros quosdā notatos habere. neq. vero loci illi cōmunes ijdē plane sunt, atq. ij, quos Aristoteles descripserat, neq. numero pares, immo multo pauciores. Hermogenes autē, cum perspicere vnā esse propriā huius artis rationē persuadendi, quae argumē-

*Libro. 2.
de ora.*

In parti.

*Libro. 2.
Rhet.*

tis

tis fieret, ceteras vel iudicio eiusdem Aristotelis vitio auditorum esse inuentas, argumētaq. omnia eo grauiora omnium consentiente sententia videri, quo magis essent, eius de quo ageretur, propria, rationem inueniendi, prudentissime persecutus est. nam in exornatione, quod natura duce satis intelligeretur, quae capita eius propria esse possent, contentus progymnasmatum praeeptionibus, nihil praeterea conquisiuit. in ceteris autē generibus, quod plus esset obscuritatis, re doctus, atq. Hermagoreorum disciplina, exemplisq. praeterea clarissimorum oratorum, ac praesertim Demosthenis formas quasdam in genera certa digestas notauit, quae propriā, & diuersam ab alijs inueniendi rationem postularent, eaq. genera, vt a maioribus acceperat, status, proprios autem argumentorum inueniendorum locos, capita appellauit: quod ab his tanquam a capite ratio omnis ab oratorib. primum duceretur. cumq. capite notato longius progrediendum esset, quia quaeq. causa circumstantijs personarum, atq. rerum, & ceteris, quae earum cōmites sunt, tanquam finib. certis continetur, voluit rationes a capitib. cuiusq. generis ductas, argumentis primum, quae ex circumstantijs peterentur, confirmari, quod hae cuiusq. causae maxi-

25

me

xime propriae essent, tum in locos illos communes exitus aliquos dari, non omnino tamen liberos, sed qui ad argumenta proposita expolienda valerent. & quonia ea, quae communia sunt, leuia in omni genere artium existimantur, nisi ad id, de quo agitur, proprie accommodentur, rationem eam ad extremum monstrauit, qua cum enthymematis, & epenthymematis, tum fictis argumentis communia illa constringerentur, & fierent rei propositae quam maxime propria, & ad persuadendum firmissima. sed, quia ceteras rationes persuadendi in orationem non ut principes, sed tanquam vitio auditorum exquisitas venire videbat, de ijs quoque non separatim, sed coniuncte cum singularum partium inuentione sibi aliquid praecipendum putauit. atque etiam in elocutione, quod ea magnum praesidium ad utrumque afferret, pauca quaedam de eo argumento persecutus est. quod si quis illud afferat, rationem quidem istam specie quadam probabilem tantum videri, nam affectibus commouendis victoriam de animis auditorum reportari, is facile sententiam mutabit, si, quod certum est, & exploratum, sibi persuaferit, nulla alia ratione magis hominum animos commoueri, quam orationis amplificatione, eamque rationem ab Hermogene accuratius

tius, quam a ceteris huius artis scriptoribus esse tractatam. dices quid de ceteris locis, qui in inuentione a ceteris scriptoribus adduntur, respondebo omnes fere aut ad capita statuum, aut ad circumstantias, & earum qualitatem, aut ad locos, quos in dilatandis argumentis indicauimus, posse referri: ut testimonia, signa, quae adiuncta a Cicero nominantur, omnino capita statuum sunt. causae ad unum genus circumstantiarum, & ad ea capita, quae consilia in statibus appellauimus, pertinent. effectus ad circumstantiam rei, aut ad signa reuocantur. definitio, si ut quaestio ponatur, in statibus exposita est, si ut argumentum, ex rei circumstantia, aut ex ceteris, & earum qualitate petitur. diuisio, ut docet Fortunatianus, atque etiam differentia ex omnibus circumstantiis sumi potest: ut illa a nobis proposita in exemplo Chiriae, cum rationibus sententiam Alexandri de amicitiae dignitate confirmabamus ex circumstantia temporis petita erat, quod in bello, in pace, & omni aetate maximo esset ornamento. sic & dissimilitudo, si ut quaestio proponatur, explicata est in capitibus statuum, ut in solutione rationationis: quod caput, quanuis in disputatione de statibus ab Hermogene praetermissum fuerat, a nobis tamen

Libro. 2.

Libro. 4

ex

ex inuentione eiusdem suo loco in numero capitum repositū fuit. coniugata ad qualitatem personae refert Fortunatianus, atque, vt breui omnia concludam, omnes loci inuentionis, si attente animaduertantur, cum tractantur ab oratore, ex aliqua circumstantia, aut eius qualitate proficiscuntur: nisi velis eos excipere, quib. argumenta dilatantur. nam omnis causa, quae ad oratorem defertur, certis circumstantijs circumscribitur, ad quas omnis ratio est ab oratore accommodanda: vt eius, de quo agitur, propria censei possit. quare aut ex illis manet, aut ad eas referatur necesse est. si igitur vt id, quod a principio propositum fuerat, absoluiamus, argumenta ea magis probanda, quae magis fuerint instituti propria, inuentio autem Tulliana, quae latius patent, confectatur, haec autē Hermogeniana ea, quae magis causae congruunt, depromit, via certe ab Hermogene inuenta longe antepone da erit rationi Tullianae nam de Aristotelica vere quidem illud affirmari potest ceteris esse multo vberiorē, & copiosiorē. sed quoniam argumenta non tā numero, quā pondere, & viribus aestimanda sunt, argumentaq. inuenta artificio Hermogenis, plus habent ponderis, quam quae reperta sunt arte Aristotelica, quod illa arctioribus vinculis

culis nimirum circumstantiarum cum causa coniuncta cohaereant, & quia maior est vis ad persuadendum argumentationū methodo Hermogenis repertarum, propterea quod a primis, & maxime proprijs cuiusq. causae ortae perpetua serie ad summum vsq. perducuntur, illud efficitur profecto, vt Hermogenis inuentio longe superet inuentionem Aristotelicam. etenim vt argumentationes, in quib. maior vis inuentionis apparet, omittam, in ratione inueniendi exordia, vbi apud Aristotelē, immo neq. apud Ciceronem, sensuum, & cogitationū illa gradatio, vt exordium a propositione profectum ad eius rationem progrediatur, inde ad redditionē, quae ex propositione nata est, pergat, & gradatim ad basim, id est ad communem propositionis, & redditionis complexionem tanquam ad summum, & altissimum gradum perueniat? vbi apud eosdem scriptores illa propagandae narrationis facultas ita disposita, vt cum ab ijs, quae rem gestam antecedunt, initium sumpseris, remq. ipsam gestam diligenter persecutus fueris, tum ad affectum aliquem causae congruenrem animos auditorum inflames, atq. ad extremum, ne cito deferuescat, ratione aliqua affectui illi consentanea eum stabilias? vbi tandem apud eosdem in epilogis

gis illa via ad animos iudicum a misericordia auertendos, & ad odium, & indignationem concitandos ita directa, & certa? commendatur in illa primum ea pars honestatis, quae repugnat ei crimini, cuius reus postulatur, vt facilius intelligi possit, quatum facinus is quem insectaris, patrarit, cum genus illud officij ita despiciatui duxerit. tum flagitium ipsum per se exaggeratur, & vt maius hominum opinione appareat, facta quoq. cum alijs taeterrimis criminibus cōparatione. deinde, vt in eo ipso genere vitij, quod omnium perniciosissimum esse contentione aliorū docuimus, ceteris multo superior fuisse existimetur, totam rationem consilij in eo flagitio admittendo acerrime accusamus. post, vt reliquiae bonae opinionis, si quae forte de eo aliquando nata fuerat, radicitus excutiantur, totam eius antea actam vitā diligentissime criminamur, vt his gradibus amplificationis vehementer percussi iudices grauissime ei succenseant, & infensissimo odio eum prosequantur. postremo rationes aptissimas ad persuadendum adhibemus, vt cum animus iudicis ex ea vehementi perturbatione se collegerit, & ad se redierit, quod omnis affectus cito in re praesertim aliena deferuescat, eum affectum, ad quem ab oratore rap-

ptus


ptus fuerat, rationi congruentem fuisse firmissimis argumentis penitus sibi persuadeat. o vim inueniendi incredibilem, & prope singularem, ac, vt vere, quod sentio, dicam, paene diuinam! ecquis igitur ceterorum inuenta Hermogenis inuentioni anteponet, aut cum ea audebit comparare? cum & praeeptionum breuitate, & ordinis perspicuitate, & serie quadam sententiarum ad persuadendum accommodatissima longe ceteris antecellat. longius fortasse, quam huius instituti ratio patiatur, nostram orationē prouexit admiratio laudū inuentionis Hermogenianae. & merito quidem: quod videmus quosdam viros eruditos, cum multum elocutioni Hermogenis, quod negare non poterant, tribuissent, de eius inuentione non magnopere laborasse. sed, quoniā elocutionem Hermogenis, quae pars artis deinceps sequitur, a vulgo eruditorum in honore, & precio haberi videmus, maior a nobis in eius praeeptis explicandis adhibetur moderatio, si prius breui exposuerimus, cur quartus liber Hermogenis de inuentione a nobis ad elocutionem transferatur. Hermogenes fortasse, ne disputationem illam splendidissimam de ideis, quam vnam arctissime in elocutione complexus erat, interrūperet, figuras, quas vocat orationis

nis

uis cum inuentionis praeceptis coniunxit,
 tum quia maioris earum partis in inuentio
 ne mentio facta fuerat: accedit etiam ad illa
 quod haec pars elocutionis inuentioni ma
 gis conuenire videatur. nos autem, cum eū
 dem locum haec disputatio, quem in arte
 Hermogenis obtinet, conseruaret,
 maluimus publicam sequi
 opinionem.



PET.



PET. IOHAN.
 NUNNESII VALEN-
 TINI INSTITVTIO.
 num Rhetoricarum
 Lib.III.

De elocutione.



Locutio igitur in duas disputa-
 tiones a nobis diuiditur: vnam de
 figuris, alteram de ideis. inter v-
 traſq. autē illud intereſt: ideis co-
 gnoſcitur omnino ſtylus cuiuſq. ſcriptoris,
 & de eius dictione iudicium fit certiffimū,
 vt quod Caefar fit dilucidus, Salluſtius bre-
 uis, & obſcurus, et iſdem omne genus ſcri-
 ptorum ad imitationem perfectiffime effin-
 gi poteſt. figurae autem orationis tantū ex-
 plicant, quo genere dicendi ſenſus fere ſin-
 guli, aut capita vnius ſtatus poſſunt di-
 cendo exprimi. harum figurarum duo-
 decim tantum genera perſequitur Her-
 mogenes: quorum primum eſt Anti-
 theton (quanquam Tzetzes mauult il-
 lud καὶ ὑπὸθεſιν vocari) quod fit cum
 ſenſus cuiuſuis orationis duplicatur ſum-

pto cōtrario eius, quod antecedit, ita vt cōtrarium eius, quod sequitur, colligamus, vt in exordio Manilianae: *si habuisssem auctoritatem, & facultatem tantam, quantam hic locus postulabat ad dicendum, antea in hunc locum prodisssem, nunc cum in me utrumq. reperiatur, accessi ad hunc locum, ut orationem in eo aliquam haberem.* huius figurae meminerat Hermogenes, in ratione amplificandi signa, quod subdiuisionibus quae ibi docebantur, haec figura maximo sit vsui, & ornamento, non quod alijs locis utilis non possit esse, vt in exordijs, quibus aptissime conuenit, vt exemplo nuper proposito demonstrauimus. haec figura differt ab eo contrario, quod in dilatatione argumentorum exposuimus: quod illud afferretur, vt maior vis argumento accederet, hoc autem tantum ad orationem exornandam. sed, quoniam in eadem disputatione de ratione amplificandi signa, mentio facta fuerat ab Hermogene periodi, & pneumaticis, quorum vsus eo loco maxime est necessarius, deinceps Hermogenes de ijs disputat.

De periodo.

Secunda



Secunda figura orationis proposita ab Hermogene est periodus. proprie autem hoc nomine ab illo vocatur, cum sensus orationis ad extremū vsq. pendet, atq. sententiam aliquam moralem, aut probationem breui circumscribit duobus, aut tribus, aut quattuor ad summum membris. circumscribuntur autem periodi illis vocabulis, quae alia alijs respondent, aut ad alia necessario referuntur: de quib. in ornatu exordiorum differuimus. sentētia igitur bimebris periodo comprehensa talis erit: *quarum laudum gloriam adamaris, in ijs est elaborandum.* trimembris, *quarum laudum gloriam adamaris, quib. artibus eae comparantur, in his est elaborandum.* quadrimembris, *quarum laudū gloriam adamaris, quib. artibus eae laudes comparantur, in his est elaborandum, ut eam gloriam consequare.* bimebris probatio: *nam, cum de laudib. Cn. Pompeij dicendum sit, in illis modus quaerendus est.* trimembris, *nam, cum de laudib. Pompeij dicendum sit, cuius orationis difficile est exitum euoluere, in his modus quaerendus est.* quadrimembris, *nam, cum de laudib. Cn. Pompeij dicendum sit, cuius orationis difficile est exitum inuenire, in his modus quaerendus est: ne oratio in immensum progrediatur.* quod si aliter circumscribatur, non

R 2

perio-

periodus, sed similis periodi ab Hermogene dicitur: qualis est prima periocha orationis pro Milone: *etsi vereor, iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem, timere, minimeque, deccat, cum T. Annius Milo ipse magis de Reip. salute quam de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse: tamen haec novi iudicij noua forma terret oculos, qui, quocumque, inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum minime vident.* Periodus potest praeter superiores figuras concludi reprehensione: vt, *an eius artis studium colere dubitabis, a qua omnia vitae ornamenta proficiscuntur, & manant?* & dubitatione: vt, *utrum philosophiae operam dare oportet, an eius studium, cum longe utilissimum sit, despiciatui ducere?* & similitudine: *quemadmodum tu eum, qui te iniuria affecisset, inultum, non relinqueres, sic ei, qui a te iniuriam acceperit, vindictam condonare debes.* Periodi autem illustrantur zeugmate. fit autem zeugma, cum duo, aut plura incisa, aut membra vno verbo communi continentur: vt illa superior, *utrum philosophiae & quae sequuntur, & hyperbatis.* fit autem hyperbaton (quanuis aliter illud definit Hermogenes in ideis) cum perturbatur sensus, & ordo verborum: vt in illa superiori periodo, *quarum laudum gloriam adamaris* &c.

&c. est autem exercitatio vtilissima, si quis ordinem periodorum varie commutet: vt, *si tanta esset facultas mei ingenij, quanta magnitudo laudum Pompeij, non minus in illis praedicandis laborarem, quam eas hoc tempore persequi recuso.* quae sic inuertetur: *non minus in laudibus Pompeij praedicandis laborarem, quam eas hoc tempore persequi recuso.* si quanta est earum magnitudo, tanta ingenij facultate valerē. potest & multis alijs modis inuerso ordine membrorum commutari. quod facile assequetur, qui se in his commutandis aliquantulum continuerit propositis aliquot periodis quadrimembribus: vt illa Tulliana ex ea pro Caecina, *si quantum in agro, locisque desertis audacia potest, tantum in foro, atque in iudicijs impudentia valeret, non minus in causa cederet A. Caecina Sex. Aebutij impudentiae, quantum in vi facienda cessit audaciae.* in hoc exemplo, vt loquitur Hermogenes, duae sunt propositiones, duo scilicet membra priora & totidem redditiones: quae duobus posterioribus membris comprehenduntur: ita vt prior redditiō posteriori propositioni respondeat, & posterior priori. poteris igitur primum ordinem redditionum ita commutare, vt priori propositioni prior redditiō respondeat hoc modo: *si quantum in agro, locisque desertis audacia potest, tantum in foro, atque*

in iudicijs impudentia valeret, ut tum vi facienda *A. Caecina cecidit Sex. A Ebutij audaciae*, ita in causa cederet eius impudentiae. possunt & duae redditiones eodem ordine praepo- ni, ut prior priori propositioni respondeat sic: ut vi facienda *A. Caecina cecidit Sex. A Ebutij audaciae*, ita in causa cederet eius impudentiae, si, quantum in agro, locisq. desertis audacia potest, tantum in foro, atq. in iudicijs impudentia valeret. immutabis etiam periodum eandem aliter, cum duae redditiones eodẽ ordine antecedant, sed posteriori respondeat prior propositio hoc modo: ut *A. Caecina vi facienda cecidit Sex. A Ebutij audaciae*, ita in causa cederet eius impudentiae, si tantum in foro, atq. in iudicijs impudentia valeret, quantum in agro, locisq. desertis audacia potest. ex his modis poterit facile quispiam alios elicere, quibus eadem periodus possit varie commutari, nisi tanta haesitantia, & tarditate ingenij praeditus sit, ut nihil plane intelligat. ex his modis, quib. potest haec periodus variari, vides a M. Tullio eum viurpatũ, qui omnium esset aptissimus. in quo etiam commutando apparuit notis item similitudinis posse periodum concludi. addit Hermogenes alias periodorum figuras, quae perficiuntur omnium casuum varietate praeterquam vocantis. nam is casus conuerso ad alterum ser-

fermone, non tam periodo sententiam constringit, quam pneumate spiritũ producit. recti igitur calus illa erit periodus ex initio Quinctianae: quae res in ciuitate duae plurimum possunt, eae contra nos ambae faciunt hoc tempore, *summa gratia, & eloquentia. genitiui* illa ex ea pro Sextio: eius igitur vitam quisquam spoliandam ornamentis esse ducet, cuius mortẽ ornandam monumento sempiterno putaretis? *datiui*: quib. reb. plurimum vulgo tribuitur, *ys nostra ciuitas nihil impertitur. accusatiui*: quae litterarum studia a pueris colere coepimus, ea ut aequum est, ne reliquo vitae spatio intermittamus, *ablatiui*: quibus laudibus ciues nostri haecenus floruerunt, *ys eos etiam nunc excellere arbitramur, cum in eadem studia virtutis semper incumbant.* sunt autem & periodi monocoli iudicio Hermogenis, quod & Aristoteli, & Demetrio probatur, quae vno tantũ mēbro terminatur, cū sensus orationis omnino pendet ad extremum vsque: ut illa M. Tullij: *habet enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem.* quanquam Aquilae non placet, periodos ex vno mēbro tantũ constare. sed aptiores sunt, & elegantiores illae, quae ex pluribus membris absoluuntur, in quibus, ut placuit Hermogeni (quanquã video alios aliter existimasse) aut redditionem oportet aequalẽ

fere esse numero syllabarū propositioni, si periodus bimembris sit, aut vni propositioni si ex plurib. membris cōstet, aut certe ea minorem, vt in exemplis superiorib. poteris experiri. hoc autem posterius, quanuis exemplis veterum oratorum se ita obseruasse affirmet Hermogenes, potest tamen ratione illa persuaderi, quod acrior, & vehementior oratio ista flexus breuitate reddatur. optandum autem maxime, vt in argumentis concludendis, atq. sententijs, quibus tantum periodos accommodari proprie voluit Hermogenes, aliquid vibrans, & cōtortum appareat. accommodauit quoque Hermogenes periodos illis orationibus, in quibus a generali quadam sententia ad aliquam specialem delabimur: vt, *cum omni tēpore expetenda est vehemētior animi magnitudo, tum vero maxime, cum temporum, & casuum magna varietate opprimimur.* aut a speciali ad generalem ascendimus: vt, *si dialecticam, quae facultas tantum est tanto studio colimus, quo amore reliquas omnes artes prosequi debemus?* ex hac disputatione perspicuum fit iudicio Hermogenis non omnem verborum circuitum periodi nomine appellandum. sed eum tantum, qui, si sententiam spectes, aut argumentū totū cōcludat, aut sententiam moralem complectatur, aut a speciali

ad

ad generalem ascendat sententiam, aut contra a generali ad specialem delabatur, si mēbra consideres eum, qui vltra quattuor nō progrediatur, & aut vnum vni, aut duo vni aut duo duobus distincte reddat, ita vt sensus orationis ad extremum vsque pendeat: quod si aut sententia nō sit huiusmodi, aut mēbra nō colligentur his modis, non erit, vt placuit Hermogeni, proprie periodus. quod si aliter de his prisca scriptores & Graeci, & Latini existimasse videntur, alij videant, nobis tantum propositum hoc loco est sententiam Hermogenis, vt possumus aperire, vt illius scripta, ac praesertim ea, quae de inuēctione accuratissime praecepit, melius percipi, atq. exerceri possint. dices, vt haec ita sint, verum illud non esse, quod ex Hermogene obseruatum fuit, in periodo trimembri redditionem semper propositioni esse parem, aut certe minorem. respondebo si vis argumenti, aut sententiae, quae periodo concluditur, forensis sit, id est, neruorum, aut aculeorum plus habeat, aptiorem futuram periodū, si minor redditio afferatur, aut certe propositioni par, sed quae breuior, ea acrior: qualem iudicialem esse oportere censuit Halicarnasfeus, vt in Miloniana: *postremo, nisi eum di immortales in eam mentem impulissent, vt ho-*

R 5

110

no effeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie rempublicam nullā haberemus. nam si sententia orationis panegyrica, & ad exornationem potius comparata sit, tū produci redditio, & longior esse, & potest, & debet: vt in illa altera Tulliana periodo eius pro Marcello: *tantus enim est splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi, & consilij dignitas, vt haec a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur.* decussatas autem periodos, si quis a me requirat ad Hermogenem, aut ad Demosthenem illum mittam. nam apud M. Tulliam nullam huiusmodi meminisse me reperisse, nisi sit eiusmodi illa, cuius supra meminimus ex ea pro Caecina. *si quantum in agris, locisq. desertis &c.* fit autem decussata periodus, cum quattuor membris ita comprehensa est, vt cum duae redditiones duabus propositionibus respondeant, vtriusque propositioni, vtraque redditio & contra possit accommodari. hoc genus periodi eadem elegantia orationis seruata potest pluribus modis, quam cetera commutari. sed age Demosthenicam illam periodū decussatam, quae proponitur ab Hermogene, non pari quidem sermonis elegantia, sed, vt possumus, reddamus, vt exemplum aliquod decussatae periodi appareat. erit igitur huiusmodi: *Philippus enim, quo plura praeter*
suam

suam fecit dignitatem, eo apud omnes admirabilior existimatur: vos autem Athenienses quanto peius, quam conueniebat, rem gessistis, tanto plus de decoris vobis comparastis. hanc periodum, si quis in ea commutanda iisdem membris seruatis velit exerceri, animaduertet multis modis variari posse: quos persequuntur interpretes Hermogenis, facillimeque eos persequetur, qui attente se in eo exercere voluerit. atque haec de periodo.

De pneumate.

Tertia figura ab Hermogene exposita vocatur pnuma. est autem pnuma, vt idem ait, comprehensio orationis quae sententiam colis, & commatis dimensam perficit, & eo vsque porrigitur, quo spiritus dicentis proferri possit. comma autem est pars orationis, qua respiramus, quod ab vna syllaba ad septem longas procurrat: vt illud Tullianum ex ea pro Sex Roscio. *innocens est quispiam septem syllabis constat.* illud duabus ex Ligariana, *manus? tribus autem ex eadem, oculi? quattuor, quid optabas? quinque, quid cupiebas?* sed cur nominatim ista persequor, cum refertae sint orationes Tullianae o
 mni

omni genere commatum? colō est pars orationis, qua item respiramus, quae a septem syllabis longis ad duodecim fere protenditur: vt in Ligariana, *cuius latus ille micro pe-
tebat? qui sensus erat armorum tuorum?* vtrūq. vndecim syllabarum. hoc colon rectum, & tensum ab Hermogene vocatur. Demetrius etiam hoc colon rectum appellat. quin
Orat. ad Bru. & M. Tullius in eadem sententia videtur fuisse, cum quattuor membra periodi quattuor hexametrorum versuum mensura dimetitur. neque vero ista ad viuum reseranda sunt, vt nec maior numerus syllabarum in commate, neque in colo esse possit. aliud genus coli facit Hermogenes recto multo longius, quod ille *χολωτενός* idest protensum vt schoenum appellat, quasi dicat longissimum. nam schoenus nomen est mensurae longissimae apud Persas sexaginta scilicet stadiorum. talia sunt omnia cola, siue membra exordiorum fere, quibus vtitur M. Tullius in orationibus: vt illud Manilianae, *quā quam mihi semper frequens conspectus vester multo incūdiſſimus*, quod ex viginti syllabis, & plerisque omnibus longis perficitur. vere igitur pronunciauit Hermogenes hoc genus colorum aptissimum esse comprehensionibus exordiorum. pneumatū duae sunt formae: vna in verbis, altera in sententia.
 pneuma

pneuma in verbis fit, cū in eadē sentētia diuersis tamē generibus dicendi, aut diuersis verbis, quae idem valeant, commemoramur: vt in Maniliana, *hunc rex Armenias in illo timore, & fuga excepit, dissidentemq. rebus suis confirmauit, afflictumq. erexit, perditumq. recreauit.* pneuma in sententia fit, cum singulis colis, aut incisīs, siue commatis diuersas sententias de eadem re pronunciamus. vt in eadem illud de Lucullo, *dico eius aduentu maximas Mithridatis copias omnib. rebus ornatas atq. instructas esse deletas, urbemq. Asiae clarissimam, nobisq. amicissimam Cizycenorum obsesam ab ipso rege maxima multitudine, & oppugnata vehementissime, L. Luculli virtute, assiduitate, consilio, summis obsidionis periculis liberatam, ab eodem imperatore classem magnam, & ornatam, quae ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse, atq. depressam, magnas hostium praeterea copias multis proelijs esse deletas, patefactumq. nostris legionibus esse Pontum, qui ante populo Romano ex omni aditu clausus esset, Sinopem, atq. Amisum quibus in opidis erant domicilia regis, omnibus rebus ornata, atq. referta, ceterasq. urbes Ponti, & Cappadociae per multas uno aditu, atq. aduenisse captas, regem spoliatū regno patrio, atq. auito ad alios se reges, atq. alias gentes supplicē*

contulisse, atq. haec omnia saluis populi Ro. socijs, atq. integris vectigalibus esse gesta. quam multa pronunciauit hoc loco M. Tullius vnius spiritus productione de Lucullo, singulaq. suis colis, & incisus distincta. omne igitur pneuma, vt vere censuit Hermogenes, in commemoracione cernitur, vt aut in eodē sensu diuersis quidē verbis, aut in eadē re diuersis verbis, & sententijs commoremur: eiusq. vis nulla reaptius declaratur, quā vinculis earum coniunctionū, quas copulatiuas grammatici appellant, vt apparuit in priori exemplo, quanuis soluta etiam oratione possunt tractari. sunt enim multae figurae, quibus pneumata ab orationibus exprimuntur, ac fere totidem, quot sunt figurae orationis: ex quibus aliquot hoc loco persequemur eodem exemplo illustratas, vt appareat, quam varie possint pneumata in oratione adhiberi. ac affirmative primū proponi potest pneuma hoc modo: *Lucullus Sinopem cepit, Amisum expugnauit, Cizycum obsidione liberauit, alias vrbes Asiae deleuit, reges Asiaticos suo regno expulit, socios populi Ro. defendit.* hoc pneuma cum in interrogatione, quae alia figura est, sic tractabis: *quis Sinopem cepit? quis Amisum expugnauit? &c. nisi Lucullus.* cū figura etiā Symplocae exprimetur. fit autē Symploca, cū idem

no-

nomen in principio membrorum repetitur, & aliud post singula membra iteratur: vt, *quis Sinopem cepit? Lucullus. quis Amisum expugnauit? Lucullus. quis Cizycum obsidione liberauit? idem Lucullus &c.* demonstratione quoque idem potest exponi: fit autem demonstratio (quod Graece melius dicitur *δεικτικόν*) cum adhibemus in oratione pronomina demonstrantia, aut alia vocabula, quae eadem facultate praedita sint, vt en, ecce. exemplum tale erit: *hic Sinopem cepit, hic Amisum expugnauit &c.* fiet ijs praeterea vocabulis, quae reprehensionem praeponi solent: vt *annō, vt nonne Lucullus Sinopem cepit? &c.* & per apostropham simpliciter. apostropha autem fit, cum sermonem nostrum ab eo, cum quo loquebamur, ad aliam personam conuertimus: vt in eodem exemplo, cum quispiam orationem apud populum de laudib. Luculli habens, eam ita conuerteret ad eundem Lucullum, *tu Luculle Sinopem cepisti: tu Amisum expugnasti.* & apostropha item fieri potest praepositis ijs vocabulis, quib. reprehensio significatur: vt, *nonne tu Luculle Sinopem cepisti? &c.* quin & figura ethopoeiae poterit idē pneuma explicari, vt Lucullus loquens inducatur his verbis: *ego Sinopem cepi, Amisum expugnauit &c.* ac, vno verbo, omnib. per-

personis, numeris, casib. temporib. modis, & reliquis attributis grāmaticis, atq. omnib. partib. orationis potest idem pneuma variari. quae attributa & figurae cum mutantur, & pneuma mutari dicitur: vt in illo eius pro lege Manilia, quod vulgo notū est, *testis est Italia &c.* cum singulari numero in ceteris vsus esset, subiicit deinde mutato numero aliud pneuma, cum addit, *testes vero iam omnes orae, atq. omnes exterae gētes, ac nationes &c.* quae duo pneumata cū proposuisset affirmate, adiungit deinceps tertium interrogatione consignatum: *quis enim toto mari per hos annos, aut tam firmum habuit praesidium,* & quae sequuntur. hac mutatione figurarū pneuma fit pulcerrimum, atq. tantam vim affert animis auditorum, cum in eodem mutatis figuris commemoratur, vt aliquando contigisse commemorat Hermogenes, vt audita tertia figura auditores rapti cursu, & aestu orationis, quasi nihil praeterea expectari posset, tanquam dimissa concione surgerent. his ita positis aperiendū est, quae ratione vtrunque genus pneumatis fiat acrius, & vehementius, aut, vt loquitur Hermogenes, vigeat. si igitur pneuma in verbis tantum positum sit, vigeat facta solum mutatione figurarum, vt apparet in illo vehementissimo pneumate orationis Ligariae;

nae: *quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* cuius pneumatis quanta vis esset satis declarauit idem M. Tullius ijs verbis, quae subiungit: *nimis urgeo: commoueri videtur adolescens.* pneuma, quod fit in sententia, tunc viget, cum latenter vni pneumati, quod in sententia positum est, alterum sententia alia proposita subiicimus, & secūdo tertium, atq. ita deinceps: in quo illud curandum iudicio Hermogenis, vt in extremum locum illud pneuma referuetur, quod sit ceteris vberius, & plenius: qualia sunt fere ea, quae ab exemplis, & a similib. petuntur. ita enim fit, vt ardor pneumatis, & orationis quasi gradibus quibusdam crescat, & ad summū perducatur. exemplo sit illud Tullianum ex Maniliana. etenim cum primo pneumate bella persecutus esset confecta a Pompeio ab illo loco, *testis est Italia,* deinde adiunxisset pneumata de detrimentis, quae bello piratico importata fuerant, cum inquit, *testes vero iam omnes orae, atq. omnes exterae gentes &c.* tum adhibet magnā vim exemplorum, & comparationum ab illis verbis, *socij vestris ego mare clausum per hosce annos dicam fuisse?* & quae sequuntur.

S

quam

quam pneumatum seriem vehementissimā concludit illa exclamatio, & comparatione enthymematica, *pro dij immortales, tantam ne vnus hominis incredibilis, ac diuina virtus tam breui tempore lucem asserre reipub. potuit, ut nos &c.* poterit fortasse aliud exemplum aptius huic instituto inuenire, si quis attentē Tullianas orationes euoluat. si pneuma longissimo spiritu producat, appellatur ab Hermogene proprio nomine tētio: quale illud est nobilissimū in peroratione septimae Verrinae, *nunc te Iuppiter Opt. Max. cuius iste donum regale &c.* vides hic spiritū lōgissime produci vna continuatione ad illum vsq. locum, *vos etiam, atq. etiam imploro & appello sanctissimae deae, quae illos Enneses &c.* atq. inde iterum eadem prope figura produci vsq. ad illa verba, *ut si in hoc reo, atq. in hac causa.* vbi tandem mutata paullulum figura spiritum rursus ducit, dum conuersa prorsus orationis conformatione breuibus periodis oratio concludatur. hoc genus tensionis, quod in accusatione alicuius adhibetur, vocatur ab Hermogene proprio nomine cataphora, in defensione autem, & in alijs generibus communi tantum nomine tētionis appellatur. huiusmodi cataphorae multae leguntur in accusationibus Tullianis: qualis illa tertia Philippica, *quid hic faciat*

faciat, si potuerit iratus, qui, cum succensere nemini posset, ad illum vsq. locum, & ad desperationem urbis venire conatus. Pneumata adhibentur eleganter, cum conglobantur definitiones, siue periphrases ad amplificandum, aut in oratione fit enumeratio causarum, effectorum, aut exēplorum, quae inductio nominatur. Definitionū conglobatarum exemplum breue, & illustre est illud ex septima in Verrem *aderat ianitor carceris, carnis fex praetoris, mors, terrorq. sociorum, & ciuium Romanorum licitor Sextius.* effectuum erit illa pro Sextio. *ignari, quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid deniq. virtus valeret: quae in tempestate saeva, quieta est, & luces in tenebris, & pulsa loco manet, atq. haeret in patria, splendetq. per se semper, nec alienis unquam sordib. obsolescit.* et in Miloniana elegantissimum pneuma cum frequentia effectorum, sed initio sumpto ab exemplis dissimilibus. *ocidi, occidi non Sp. Maelium, qui annona leuanda, &c.* causarum frequentia est in illo pneumate Sextianae, *cum alij me suspicionem periculi sui defenderent, alij veteri odio bonorum incitarentur, alij inuiderent, alij obstare sibi me arbitrarentur, & quae sequuntur.* Exemplorum enumeratione fit illud pneuma in interrogatione in Vatinius: *M. Bibulum, cuius inclusione contentus*

tentus non eras, interficere volueras, spoliaueras
 consulari &c. his ita de pneumate, & perio-
 do expositis intelligetur, quod supra dixi-
 mus, verum esse, periochas illas longas, qui-
 bus vtitur M. Tullius in exordijs, nec pe-
 riodos proprie propter membrorum proli-
 xitatem, neq. pneumata, quod apte colliga-
 tae sint, appellari posse, sed vtriusq. naturae
 participes esse, propius tamen ad periodo-
 rum naturam, accedere, quod ambitu quo-
 dam, & sensu ad extremum vsq. pendēte cō-
 cludantur. itaq. prima illa periocha oratio-
 nis pro Murena, quae lōgissīma est, ijs vin-
 culis continetur, quibus docuit Hermoge-
 nes periodos comprehendī, cum de varietate
 casuum, quibus illae distinguuntur, dis-
 putaret. quare eiusmodi periochae non pe-
 riodi, sed periodicae, vt loquitur Hermoge-
 nes, recte appellabuntur. nam quod quidā
 duo earum genera fecerunt, vnumq. ambi-
 tum, alterum circuitū nominari voluerūt,
 qua ratione adducti nouam istam nominū
 significationem inuexerint, non video. ex
 hac etiā disputatione poterit percipi, quod
 Hermogenes in disputatione de antitheto
 docuerat, antitheton & periodo, & pneu-
 mate concludi posse. pneumate quidem: vt,
 si omnia essent tranquilla, & pacata, si liberta-
 tē nostrā cū otio, & dignitate tueri possemus, ni-
 hil

hil contra maiorum instituta, nihil contra con-
 suetudinem faciendum, nihil de ratione admini-
 strandae nostrae reipub. mutandum censerem,
 vetera omnia instituta, decreta, moresq. maio-
 rum nostrorum seruari oportere indicarem: cum
 vero tantum bellum, tam horribile, tam formi-
 dolosum nobis inferatur, cum hostes acerrimos, &
 potentissimos, nobisq. infestissimos appropinqua-
 re audiamus, omnia vastari, omnia inflamma-
 ri, metusq. tantus nostris ciuibus iniectus sit, vt
 maiorem post hominum memoriam nemo memi-
 nerit, ecquis iure nostram sententiam poterit
 improbare, qui salutis conseruandae, libertatis
 retinendae causa aliquid noui contra consuetudi-
 nem, contra maiorum instituta fieri oportere cē-
 seamus? quis contra nos impios in uxores, in li-
 beros, in parentes, in patriam deniq. ipsam, im-
 mo in numen ipsum diuinum non existimabit,
 qui non omnia machinemur, non omnia molia-
 mur, etiam quae inaudita, atq. inusitata esse vi-
 deantur, dum uxorum pudicitiam, liberorum
 pudorem, parentum vitam, patriae libertatē,
 communemq. omniū ciuium salutem tueamur:
 praesertim cum ea sit belli vis, ea natura, vt ex-
 pulsīs veteribus institutis, atq. legib. nouas leges,
 noua instituta, novos mores inducat. eadem sen-
 tentia antitheti breui periodo sic conclude-
 tur: quae in pace fieri iniquo animo ferrem, ea in
 tanta rerum omnium perturbatione facienda

esse censeo, ne ab hostib. taeterrimis, immanissimisq. turpissime opprimamur. atq. haec de tribus figuris prioribus.

De dilemmate.



Varta figura orationis exposita ab Hermogene vocatur dilemma, qua vsus ille fuerat, cum status absoluti praescriptionem quandam expoliret. hac figura & ratio acrior fit, & esse videtur. qua propter utilissima est argumentis concludendis. fit autem verum dilemma, cum duo contraria interrogantur a nobis, quorum alterutrum necessario est aduersario respondendum, sed ita, vt ad vtrunq. refellendum sumus parati tale est illud Demosthenis in Aeschinem ex oratione de corona, cum Demosthenes consilium dedisset Atheniensibus. vt bellum contra Philippum regem Macedoniae susciperent, victiq. ex eo bello discessissent, Aeschines accusat Demosthenem, quod eius consilio multa, & magna detrimenta Athenienses accepissent, Demosthenes tunc vtitur hoc dilemmate: *aut aderas tuum senatu, cum de hoc bello suscipiendo disceptabatur, aut non: sed, quia aderas, aut nostrae sententiae*

tiae tunc contradicere debuisti, aut tacere. cum autem tacueris, aut noueras, quod futurum erat, aut ignorabas. si noueras, cur de eo, quod utilius tibi futurum videbatur, sententiam non dicebas? sin autem illud ignorabas, cur eos insimulas, qui eadem quatuor ignorantia, futura non prospiciebant? quod si aut eadem complexio ex duabus interrogationibus non sequatur, aut non necesse sit omnino alterutra parte respondere, simulatum potius erit dilemma, quam verum, vtile tamen ad aduersarios perterrendos, & ad iudices facilius hac specie argumentationis persuadendos. tale est illud Ciceronis ex ea pro Plancio: *quos tu, si sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinat criminoso: sin, quia gratiosi sunt, accusandos putas, noli mirari te id, quod tua dignitas postularit, repudiadis gratiosorum amicitias non esse assecutum.* in hoc exemplo non efficitur eadem complexio ex vtraque parte: at in illo, quod vulgo tritum est, *aut formosam ducis, aut deformem: si formosam, verendum ne sit communis, si deformem, ne sit molesta,* idem quidem colligitur ex vtraque parte, sed necesse illud non est, vt formosam, aut deformem ducat. quare facile refelletur. cum fieri potest, vt ex vtraque parte contraria & aliquid boni, & mali consequi doceamus, appellatur ab Aristotele *βλασφωμια*: vt in hoc ipso exemplo docemus bonum ex vtraque parte effici, si formosa nimirum fuerit,

Libro. 2.
Rhet.

rit, gratam futuram, si deformis, non futuram
communem. tale illud est Protagoras, & E-
uathli facetissimum, quod legitur apud A.

Libro.5. Gellium.

De parechese.

HAnc figurā, cur adhibuerit hoc
loco Hermogenes, non possum
prorsus diuinare. multa quidem
veniunt in mentem, quid tamen
sequar, incertus sum. sed si prius quae sit
haec figura exposuero, deinde coniecturā
meam afferam. fit ergo parechesis cum duo,
aut plura vocabula pronunciatione, & so-
no inter se similia, diuersa tamen significa-
tione praedita in oratione adhibentur: vt
illud Tullianum ex tertia Philippica, *en cur
magister eius ex oratore arator factus sit.* quod
plenum est acerbitatis, & indignationis. est
etiā parechesis illa in Cluētiana: *si in hac ca-
lamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima
flama* & quae sequuntur. nunc coniecturā
nostram paucis aperiam. Hermogenes, cum
figuram, quae deinceps sequitur, explicat,
sic eam disputationem aggreditur, circulus
& ipsa figura interpretationis, quasi velit
significare de hac item, quae illam proxime
ante-

cedit, quod ad interpretandum valeat, hoc
loco disputari, vt ad id, quod instituerat,
referat quoq. hanc figuram. nam propositū
sibi in hac disputatione de figuris esse dix-
erat docere, quo modo argumenta efferen-
da essent. quod certe quattuor figuris supe-
rioribus commode fieri potest. sed quid pa-
rechese, aut, vt alij loquuntur, paronomasiae
cum argumentorum enunciatione? certe e-
xempla illa huius figurae, quae apud Ruti-
lium ex Gorgia leguntur argumentis con-
cluduntur, quale illud: *non enim decet homi-
nem genere nobilem, mobilem videri.* & illud
alterum, *ad huius sceleratissimi opera, qui fuit
locus religiosissimus? nimirum, quia traditam
sibi publicorum custodiam non honori, sed oneri
esse existimauit.* negari non potest quin his
exemplis accesserit aliqua *σπιμότης*, id est a-
cerbitas, aut vis acris, quae aliquantulum vr-
geat argumentis, nam & hunc modum
τὴν σπιμότητος profert idem Hermogenes ex
clarissimorum, & probatissimorum viro-
rum auctoritate, quanuis ipse frigidiuscu-
lum esse arbitratur. si igitur hac figura asse-
quimur *τὴν σπιμότητα*, haec autem vis, & a-
cerbitas orationis in argumentis exprime-
dis maxime desideratur, vt apparuit in dile-
mate, & saepe aliās, ac praesertim apud Her-
mogenē, certe mirandum non est, quid sit,
S 5 quod

Libro.2.
de id.

Lib. 9.

genes hanc figuram hoc loco docuerit. erit igitur haec figura, vt paucis complectar, v-
sui magno argumētis, vt acriora videātur.
nam & Quinctilianus, cum de hac ipsa dispu-
tat, melius inquit, atq. acrius fit, quod cum
figura incūdum est, tum etiam sensu valet,
emittit morte immortalitatē. potest etiā pareche-
sis in incis, & membris pneumatis adhibe-
ri, vt apparet in exemplis Hermogenis. ha-
tenus de parechesi.

De circulo.



Circulus figura finitima est pare-
chesi: vtraq. enim & vim, & ve-
nustatem affert orationi. circulus
igitur, quae epanadiplosis a
Rufiniano vocatur, fit, cū idē vocabulum
in eadem periocha primum est, & extremū
vt illud Virgilianum, *multa super Priamo ro-
gitans, super Hectore multa.* & illud M. Tal-
lij septima in Verrem, *multi, & graues dolores
inuenti parentib. & propinquis multi.* haec fi-
gura vtilissima erit ad argumenta concludē-
da: vt in Catone, *nihil igitur agebat Q. Maxi-
mus, nihil L. Paullus pater tuus Scipio, socerq.
filij mei, & ceteri senes Fabricij, Curij, Corneca-
nij, oī rēp. consilio, & auctoritate defendebāt. ni-*
hil

Aenei. I.

bil agebant? nam & rotūde effertur, quod est
propriū periodi, & argumentorum, & com-
moratione quadam eiusdem verbi vim ad-
dit orationi: vt apparet in illo exēplo De-
mosthenis ex quarta Philippica, *tibi enim fur
pater fuit, si similis quidem fuit tibi.* in hoc exē-
plo circulus instar periodi breui, & rotunda
oratione conclusus est. annotat tamen Her-
mogenes vsum quoq. illius esse, cum aliquid
paullo fusius narandum fuerit. quod ille cō-
firmat repetito exēplo ex oratione Demo-
sthenis in Leptinem: in quo cū longiuscula
sit narratio, satis erit illud indicasse, eius ita-
que primaverba sunt, *dicitur igitur ille, extre-
ma vero, nostis omnes, quomodo decepisse dicitur.*
hae duae figurae venustiores sunt, epipho-
nema quae sequitur, grauior.

De epiphonemate.



Epiphonema, quae septima figura
proponitur ab Hermogene, pro-
prie fit, cū post descriptionē ali-
cuius rei aliquid a nobis assumitur
quod ab eius descriptionis natura alienū nō
fit, in quo tamen audeamus aliquid profer-
re, quod sit admirabile, & fere praeter opi-
nionem. hoc genus audaciae apposite fit nō
verbis

verbis proprijs, sed aliunde trāslatis. quod
Odys. 5. genus epiphonematis, vt Hermogenes illu-
 strat exēplo Homeri, sic no sexēplo Virgilij,
Libro. 1. quo loco illū Homeri imitatur, exponemus.
 extat igitur in Aeneide tēpestatis illustris de-
 scriptio ab illo loco: *ac venti velut agmine fa-
 cto &c.* in qua descriptione legitur illud epi-
 phonema, *pōto nox incubat atra.* vbi, vides ver-
 bū incubādi trāslatū a gallinis fortasse, quae
 ouis incubant, aut ab ijs certe dictum, qui
 aliena inuadunt, vt voluit Seruius, & no-
 ctis nomine audacter appellari illas tene-
 bras: quāquam audacius est, quod apud Ho-
 merum legitur. intelligitur hoc exemplo fa-
 tis, quae sit vis epiphonematis: quanquam
 verius epiphonema fuisset, si in descriptio-
 ne vltimum plane fuisset, neque descriptio
 longius processisset: etsi quod extremū ibi
 est, epiphonema quoq. videtur, cū ait, *prae-
 sentemq. viris intentant omnia mortem.* aliter fit
 epiphonema non ita quidē proprie, vt pri-
 mum, cum ad extremum pneuma aliquod
 accedit colō, quod vim totius pneumatis
 breui complectitur: vt apud eundem Virgi-
Lib. 2. lium in Aeneide, cum Panthus memorat ex-
 cidium Troiae.

*Venit summa dies, & ineluctabile tempus
 Dardaniae fuimus Troes: fuit Ilium, & ingens
 Gloria Teucrorum: ferus omnia Iuppiter Argos
 Tran-*

Transtulit. post hoc pneuma sequitur illud
 epiphonema, *Incensa Danai dominantur in vr-
 be,* quo breui expressit omnia, quae supe-
 riorib. membris complexus fuerat. Sed ab
 exemplis poeticis ad oratoria, & Tulliana
 veniamus. M. Tullius lib. 5. accusationis in
 Verrem postquam pneumate affectuum ple-
 nissimo descripserat atrocitatē facti illius
 crudelissimi, quo C. Verres de Nauarchis
 Siculis supplicium sumi iusserat, concludit
 totum illum locū hoc epiphonemate, praec-
 positis exclamationibus. *o magnum, atq. into-
 lerandum dolorem! o graue, acerbamq. fortunā!
 non vitam liberum, sed mortis celeritatem pre-
 cio redimere cogebantur parentes.* Et in eadem
 de classe amissa, & libidine praetoris, cum rē
 totam diligenter expressisset, sic concludit
 locum exclamationibus: *o tempus miserum,
 atq. acerbum provinciae Siciliae! o casum illum
 multis innocentib. calamitosum, atq. funestum!
 istius nequitiam, ac turpitudinem singularem!*
 His exclamationib. subiungit hoc epiphonema
 verbis translatis ornatum, & ad ani-
 mos commouendos aptissimum: *Vna, atq.
 eadem nox erat, qua praetor amoris turpissimi
 flamma, ac classis pop. Romani praedonum incē-
 dio conflagrabat.* praeter haec duo genera ad-
 dit Hermogenes tertium, quod non est ve-
 re epiphonema, sed, vt ille inquit, epiphonema-

illud, quod graue est, illum somniare, molliuit, quod in metaphora ebrietatis duriusculum videri potuisset. metaphorarum vsus, quantus sit in oratione, non est necesse commemorare, illis etiam orationem acrem reddi, qualis in argumentis desideratur, docet *Libro. 2.* Hermogenes in ideis. quaeret aliquis, cur Hermogenes tropos in numerum figurarum retulerit, cum alij figuras a tropis magno studio separarint. Hermogenes in disputatione de ideis figuras quoque a tropis seiunxit, hoc autem loco, cum figuras orationis appellet eas, quibus variae sententiae ab oratoribus dictione exponuntur, quod & tropis potest comparari, vt ipse saepe hoc libro docuit, merito tropos ad figuras orationis reuocauit: quod etiam magis intelligetur ex figura nona, quam deinceps collocat.

De honesta oratione.


HA nominatur ab Hermogene honesta oratio: quae, si res subiecta honesta fuerit, necessario fere eius naturam consequetur: vt apparet in illa sententia Cicero nis ex somnio Scipionis, in quo libello multa huiusmodi leguntur *omnibus,*

qui patriam conseruarint, adiuuerint, auxerint, certum esse in caelo, ac definitum locum, ubi beati aeno sempiterno fruuntur. & in orationibus etiam multae sententiae honestae honesta oratione exprimuntur: vt in ea de haruspicum responsis cum scribit: *naturam nos primum numini diuino, deinde patriae, & parentibus conciliasse, eodem enim tempore, inquit, & suscipimur in lucem, & hoc caelesti spiritu amemur, & certam in sedem ciuitatis, ac libertatis ascribimur;* quod si sententia aliqua turpis ab oratore exprimenda fuerit, tunc honestas maxima in oratione adhibenda erit. quod fieri potest dupliciter: vno quidem modo, cum verba propria eius turpitudinis taceamus, & alia honestiora adhibemus, quae translata esse solent. hinc illa in ea de haruspicum responsis: *quis minus unquam peperit hostium castris, quam ille omnibus suis corporis partibus.* & quae sequuntur. altero modo, cum quod turpe est, silentio praeterimus, illud tamen ex eo quod antecedit, aut ex eo, quod sequitur, oratione significamus, quod est proprium enargiae: vt in eadem de haruspicum responsis, *an ex sororum cubiculo egressus pudorem, pudicitiamque defendat.* hic ex posteriori flagitium turpissimum significauit. ita violare virginem pro vitare, & cum muliere esse, pro concumbere modeste prisca, vt

T ait

ait Varro, ex eo, quod antecedit, dicebant: quanto autem ornamento oratori haec figura sit, nemo dubitat, cum ab eius dignitate omnis turpitudine longissime abhorre-
re debeat.

De cacozelo.

 Acozelum igitur fit tribus modis: primo cum metaphorā, qua vsusumus, persequi, & explere non possumus. qui modus vix apud scriptores probatos reperietur: vt *vis flammae quassatae*, pro illo prope extinctae. secundo cum aliquid afferendum est a nobis, quod sub progymnasma refutatiunculae cadere possit: cuiusmodi esset, si quid improbabile, aut naturae contrarium, aut impium, aut quod sibi ipsi repugnet, proferendum fuerit. tertio si quid humile, & abiectū in oratione adhibendum sit, posteriores igitur modos hac ratione molliet orator, vt praemuniat illud, antequam dicat: quae figura prodiorthosis nominatur, aut certe cum illud dixerit corrigat, quae figura epidiorthosis appellatur. hac figura vsus est Homerus in Odysea, cum dicturus esset a Cyclope verticem magni montis perruptū fuisse, totū enim cū locū his sententijs praemuniuit

Lib. 9.

muniuit, ne improbabile videretur, quod dicturus erat: *cibis, inquit, ijs utebatur, qui humanas vires superabant, clauam praeterea gestabat, quam nullus homo sustinere poterat, saxū etiam iaciebat maius omnib. humanis virib. postremo non istis hominibus, qui vulgo cernuntur, sed promotorio cuidam nemoroso quāsimillimus erat.* his gradib. eo peruenit, vt dicere potuerit, quod alioqui incredibile visum fuisset, a Cyclope verticem montis magni perruptum fuisse. ita M. Tullius secunda Philippica, cum esset commemoraturus foedissimum illud factum M. Antonij, quo totum tribunal vomens impleuerat, quia incredibile futurum suspicabatur, his verbis illud antea molliuit: *tu istis faucibus. istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantū vini Hippiae nuptijs exhauseras &c.* & cum immania eius pocula appellat, cūq. addit, quod credibilis est, *eū vomētē gremiū suū impleuisse,* viam munit ad illud extremum, quod magis improbabile est, *eū totum tribunal impleuisse frustis esculentis, vinum redolentibus.* eodē modo poterit quod humile, & abiectū fuerit, tegi illo etiam, si ei, quod abiectū dixeris aliquid honestum, & plenum grauitatis subiūgas: vt perspicuū fit in illo exēplo, quod ex Euripide profert idem Hermogenes, *en dimidiū mei corporis draco fit.* quod cū abiecte

T a

dica?

In He-
cub.

dicatur, addit illud graue, & audaciae epi-
phonematicae plenum: *fili circumplicare pa-
tri reliquo.* quod si aliquando post grauem
aliquam orationem aliquid abiectum pro-
posuerimus, incurremus in vitium cacoze-
li: vt apud eundem Euripidem ostendit Her-
mogenes, cum inquit Euripides de Polyxe
na: *haec cadens tamen, vt honeste caderet, & pu-
dice prouidit.* huic orationi graui subiecit
illam vulgarem, & abiectam, tegens ea, quae
ab oculis virorum auertere opus est. Caco-
zeli cognitio vbiq. necessaria, sed praeser-
tim in narando, & in amplificatione illa to-
tius causae, cum inducenda sunt, quae fieri,
aut dici potuerunt, aut poterunt, nequid
absurdum, aut ineptum, & a decori ratione
alienum a nobis proferatur. Demetrius fa-
cit Cacozeli notam contrariam eleganti:
Fabio tam late patet Cacozelum, quam or-
natus ipse. sed iam vndecimam figuram ag-
grediamur.

De controuersijs figu- ratis.

Res figurae orationis, quae deinceps
sequuntur apud Hermogenem, faciunt
controuersias figuratas: quarum illud
est commune, vt longe aliud velit orator,
quam

quam id quod persuadet aperte sua oratio-
ne. Earum prima vocatur ductus cōtrarius,
cum contrarium tantum eius, quod vide-
tur persuadere orator vult, vt in hoc exem-
plo apparet. *cum Lacedaemonij pacem Atheniē
sibi pollicerentur, eo pacto, vt Periclem sibi trade-
rent, Pericles ea re cognita prodijt in senatum pe-
titurus, vt paterentur pro salute Reip. se tradi
Lacedaemonijs.* Secūda appellatur ductus o-
bliquus: qui fit, cum & contrariū eius quod
nostra oratio videatur velle persuadere, &
aliud praeterea oblique persuademus, vt in
hoc exemplo: *cum urbs premeretur caritate
annonae, diues quidam pollicetur se Remp. suble-
uaturum, si per eam ei licuerit pauperem quen-
dam iugulare. qua re intellecta pauper petit a se-
natu vltro mortem voluntariam pro salute Rei-
pub. & oblique docet, non esse tantam copiam
frumenti apud diuitem, vt ille possit difficultati
rei frumentariae subuenire, aut si tantum fru-
menti diuiti suppetat, licere Reip. illud ab eo in-
uito extorquere.* vterq. ductus hac ratione,
quod ad inuentionem pertinet, tractandus
est: primum vt argumenta, quibus proba-
mus id, quod oratio profitetur, sint leuissi-
ma, & quae contrariam potius sententiam
constituere videantur: quale illud esset Peri-
clis, *ego semper me Reipublicae studiosissimum
professus sum, eius salutem longe anteponendam*
T 3 esse

esse meae semper existimaui. qua propter peto a vobis, ut me Reipub. causa Lacedaemonijs hostib. tradi patiamini. deinde vt oppositiones multis argumentis illustratae, confirmatae etiã afferantur, cuiusmodi illa esset in eadem causa Periclis. dicit hostib. non esse morem gerendum, cum vel socijs in omni reparandum non sit. maiores vestri nec Xerxi, neq. Dario potentissimis regib. neq. Mardonio Xerxis duci, obtemperarunt vos praeterea neq. ysdem Lacedaemonijs parvistis, cum de Potidaea, cum de Megaris, cum de Aegina disceptaretur. haec autem oppositiones dupliciter explicari possunt, aut ex persona oratoris, aut ex alterius persona. ex persona quidem oratoris, vt si Pericles dicat: si quis me inuitum ad parendum Lacedaemonijs vocaret, dicerem inique mecum agi, proferrẽ q. multa exempla domestica, atq. externa, quib. eam sententiam infirmarem, sed, cum vltro pro Reipub. salute me hostib. tradam, nihil ista moror. ex alterius vero persona: vt, diceret quispiam, qui salutem publicam suae postponeret, nõ esse hostib. obsequendum, quod stultum istud sit, neq. a maiorib. suis, aut ab ipsis vnquam commissum. Ductus per emphasim, qui tertius est ex figuratis, fit, cum metu, aut pudore prohibiti sic exprimimus crimen nostra oratione, vt reprehensione digni non videamur, & crimen iudici acuto, & intelligenti

genti detegamus: vt in hoc exemplo Hermogenis, pater infamis in nurum, cum filium ex ea suscepisset, consultoq. oraculo intellexisset fore, vt ab eo occideretur, iussit filio suo, vt recens natum exponeret, quod cum ille negasset se facturum, abdicatur a patre, & filius se apud iudicem tuetur. hoc crimen tractari honeste potest ex inuentione, atq. elocutione, ita vt non videatur filius patrem aperte adulterij insimulare, id ipsumq. ita occulte efficiat, vt reprehendi iure non possit. ex inuentione ab exemplo: finge pater hunc infantem filium tuum esse: tu expones, quem genuisti? tu abicies eum cuius pater extitisti? ex elocutione vero, si abundemus copia verborum, quae possint in sensum honestum, & turpem trahi, & communibus, & vulgo receptis vtamur, sed quae nostrae causae maxime conueniant, vt compositio orationis nostrae aliud significet, si eius partes coniungantur, & aliud, si separentur. quod fiet perspicuum his exemplis. fit hoc argumentum declamationis. percrebuerat patrem cum nuru sua vna versari. mater, cum secretum quiddam filio dixisset, suffocat ipsa sese. pater quaerit, quid secreto illi dixisset. filius, cum dicere illud nollet, abdicatur. in

hoc igitur argumento tale secundum proe-
mium fictum est ab Hermogene. *de mea qui-
dem abdicacione non magnopere laboro: deleo ta-
men vehementer tuam pater orbitatem, te solum
cum sola nuru domi esse, & una vivere.* in quo
exemplo ambiguitas orationis suspicione
comouet. nam illa vocabula *cum muliere es-
se, & una vivere*, cum honeste dicantur, pos-
sunt etiam in turpi flagitio dici, & intelligi
quae tamen verba vulgo vsitata sunt. quod
autem ambiguitas, quae posita est in verbo-
rum compositione, possit emphasim, & su-
spicionem adiuuare ex hoc exemplo intelli-
getur: *per vulgatum erat patrem cum filij uxore
concupuisse: filius, cum adulterum cooperitum
deprehendisset, eum dimisit, et abdicatur a patre.
diceret igitur tum filius, cum deprehenso adul-
tero clamabat o pater, tu autem eras nusquam.*
in hoc exemplo, cum patris nomen adiun-
gatur statim post adulterum, reddit patrem
suspectum adulterij filius, multo vero ma-
gis illis verbis, *tu autem eras*, sed quia ad ex-
tremum additur, *nusquam*, videtur illum ab
hac culpa liberare. hoc genus, quod in com-
positione ambigua versatur, non magnopere
probatur Quintiliano, qui multa de his
controuersijs figuratis disseruit: quales mul-
tae extant apud declamatores: multa item
antea disputauerat Halicarnassicus de eodem
argu-

Libro. 9

argumento, longiusque illud produxerat, ut
ad omnia genera scriptorum pertinere arbi-
traretur. Fortunatianus breuius istas con-
trouersias persequitur nomine ductuum,
Capella item, neque eodem plane modo, quo
Hermogenes: sed Hermogenes videtur faci-
lius, & huic arti aptius de his disputasse. ha-
rum apud declamatores vsus frequentissi-
mus, oratores vero raro illis vtuntur: quia
non conuenit foro, ut ait Cornutus, ut quod
nolis intelligi dicas, aut quod velis intelligi
inuoluas: nunc si vnam figuram earum cau-
sarum, quae in comparatione versantur, ad-
diderimus, totam disputationem de figuris
orationis concludemus.

De controuersijs compa- ratiuis.



A autem pertinet ad quaestio-
nes comparatiuas, quae in o-
mni statu locum habent: ut in con-
iecturali recriminatio, in defini-
tuo, *Clodius vim fecit Sextio, Sextius non fecit
vim Clodianis*, sic in ceteris statibus. Hae
quaestiones, quod ad inuentionem spectat,
tractantur iisdem capitibus quibus & simplices
sed duplicatis, & inter se comparatis, ut in

reclamatione Rosciana: *Roscus filius noluit occidere patrem, T. Roscius voluit eum occidere. Sex. filius non potuit patrem necare, T. Roscius potuit eum necare: sed quod pertinet ad elocutionem, sic tractandae sunt, ut neutra pars separatim tota explicetur, sed singula capita cum singulis proxime conferantur: quale illud est pro Murena de comparatione iurisprudentiae, & artis militaris: *vigilans tu de nocte, ut tuis consultiis respondeas, ille ut, quo contendit, mature cum exercitu perveniat: te gallorum, illum buccinarum cantus excuscitati tu actionem instituis, ille aciem instruit: tu caues ne tui consultores, ille ne urbes, aut castra capiatur. ille tenet, & scit, ut hostium copiae, tu ut aquae pluviae arceantur: ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. si controuersia, quae in comparationem cadit, fuerit negotialis, videndum, quae circumstantiae inter se conferantur, personae ne, an tempora, an loci, aut aliae, & ex qualitate cuiusque generis circumstantiarum argumenta ad comparandum ducenda, quae autem esset cuiusque circumstantiae qualitas, copiose a nobis in inuentione explicatum est. huius generis negotialis comparatiui est diuinatio in Verrem M. Tullij, in qua disputat vter magis idoneus accusator Verris futurus sit ipse ne, an Caecilius. quid habeant elocutionis pro-**

proprium hae controuersiae atque figuratae, satis ex utrisque percipitur, & quam diuersa elocutione a ceteris causis explicandae sint. propter quam etiam causam hoc loco ab Hermogene collocatae sunt. atque haec de figuris orationis. nunc de ideis dicemus.

De ideis.

SI vlla pars huius artis futuro oratori necessaria est, haec omnium maxime: quod eius beneficio, & de alienis scriptis iudicium certissimum facere, & nostra quam accuratissime ad veterum exemplum componere possimus. etenim imitatio, quae natura tantum duce sine arte instituitur, offendet saepius, & labetur, atque eo magis periculosa, quo naturae ornamentis magis fuerit instructa. at ea, quae arte suscipitur imitatio, cum mediocris ingenij accessione saepe maximos, & certissimos doctrinae fructus percipit: vberiores tamen, & praestantiores editura, si maior, & acrior ingenij vis, atque facultas ad artis cognitionem adiugatur. sed, quoniam illud non saepe contingit, quod studio consequi possumus, in eo nobis laborandum est, neque parcendum

Libro. i. dum operae, dum partis omnium totius huius artis praestantissimae praeceptiones cognoscamus. hanc eloquentiae partem, cum multi explicandam suscepissent, omnes inchoatam fere, quod quanto ceteris praestabilior, eo difficilior esset, reliquerunt: vnus Hermogenes, quod ipse de se vere gloriatur, eam videtur perfecisse. nam, vt a vetustioribus huius artis scriptoribus: initium repetam, Aristoteles, & eius auditor Theophrastus multa de perspicuitate, de orationis ornatu, de genere dicendi urbano, de eo, quod aptum esset, fortasse differuerunt, formas tamen, & quasi notas orationis non videntur distinxisse. M. Tullius, & auctor ad Herennium tria illa genera dicendi notarunt summum, medium, & infimum, suisq. praeceptis, atq. exemplis ea illustrarunt, docuerunt praeterea, quae essent illis finitima vitia, longius tamen non sunt progressi. Demetrii inuentis, quicumq. is fuit, qui de elocutione scripsit, aliqua facta est huic quidem arti accessio, non vulgaris illa quidem, sed pro facultate, & copia huius artis parua, & exigua. Halicarnasseus plura videtur in hac partem contulisse, sed vt ex reliquijs conijcerelicet, nam pleraq. omnia perierunt, non satis distincte. Aristides multo plura ornamenta huic parti videtur subministrasse, sed

sed rudia, & impolita, magnaq. idearum varietate confusa, vt videtur, atq. perturbata. vnus Hermogenes totum hunc locum singulari quadam prudentia cumulate perfecit, & subtilissime perpoliuit. nam cum vere existimasset ex vniuersa Graecia aut vnū Demosthenem oratorem, aut certe omnium principem extitisse, obseruauit diligenter, ex quib. dicendi formis suum illud excellēs, ac paene diuinum genus orationis ille temperasset, easq. ita praeceptis, ac exemplis distinctas illustrauit, vt nihil perfectius in eo genere excogitari posse videatur. has dicendi formas alij characteres, alij notas appellarunt, Hermogenes ideas nominauit, aut quod ad exemplum praeclarissimum Demosthenis perfectae essent, aut quod in illas tanquam in exempla praestantissima intuentes, genus quoddam dicendi, & scribendi perfectum, & omnib. numeris absolutum tam in oratione soluta, quam in ea, quae numeris, & versu vincta esset, consequi possemus. sunt autem sex genera idearum ab Hermogene inuenta: magnitudo scilicet orationis, perspicuitas, venustas, velocitas, morata oratio, atque grauitas. nam veritas, quae hoc loco ab eodem additur, subiecta est orationi moratae, vt idem postea testabitur. ex his generib.

vix vllum reperitur per seipsum auulsum a ceteris, nisi forte in dialogis, idq. quam rarissime, vt personae, & decori ratio obseruetur. partes autem, quib. quaeque idea perficitur, si Theophrastum, Demetrium, & Aristidem sequaris, tres tantum sunt: qui numerus partium quanto breuior, tanto est obscurior. sin autem Hermogenis vestigijs insistamus, ex octo partib. ad summum idea absoluitur. sunt autem hae, sententiae, methodus, id est figura sententiae (sic enim ille appellat hoc loco figuras sententiarum) dictio, figura, id est figura dictionis, vt per excellentiam nomine generis appelletur, longitudo membrorum, aut incisorum, compositio, clausula, & rhythmus. Tzetzes tamen existimauit vltimam partem superuacaneam esse, quod ex numerorum collocatione, & clausula ita perficiatur, vt omnino nihil aliud sit rhythmus, quam apta quaedam numerorum in membris, & incisus collocatio cum clausula illis congruente. nam si clausula non sit consentiens ceteris numeris orationis, vt docet Hermogenes, aliud genus rhythmici constituetur: posset quidem Hermogenes ex ijs quae nuper diximus, contra Tzetzem defendi, sed quia sententia Tzetzae faciliorem reddit totam hanc disputationem

ratio

tationem, eam quia satis probabilis est, sequemur, vt septem ad summum partes singulis ideis tribuamus: quae partes, quam vim habeant in expositione singularum idearum planius intelligetur. quaeque autem oratio dicitur ex hac idea, aut illa constare, cuius plures partes in illam conuenient, aut, quod certius est, illae saltim, quibus ea idea maxime nititur. vt in idea grauitatis plus ponderis habet methodus quam ceterae partes, in idea vero venustatis plus valent partes posteriores, compositio scilicet, & clausula. sed, quoniam satis videmur praefati, singula genera idearum separatim persequamur. ac Hermogenes quidem de perspicuitate primum differendum arbitratus est, quia ea in omni oratione est necessaria. qua in re ab illo dissentiemus, imitabimurque methodum, & rationem docendi Aristotelicam. nam vt ille quamuis epopoeia ordine naturae tragoediam antecedit, quia explicaturus erat, quo modo fieret epopoeia sublatis quibusdam partibus ex tragoedia, prius de tragoedia, quam de epopoeia disputauit, sic & nos quia Hermogenes docet, quo modo fiat oratio perspicua, demptis quibusdam partibus ex magnitudine orationis, prius de magnitudine orationis, quam de perspicuitate differendum existimamus, vt disputatio

fa-

In poesi.

facilior reddatur: quare a magnitudine orationis hanc disputationem exordiemur.

De orationis magnitudine.



DE Magnitudine igitur orationis disputarunt multa Aristoteles, & Demetrius, & Dionysius Longinus in libello aureolo de sublimi oratione, ut Aristidem, & alios omittam, sed cum alia via, atque ratione de ea Hermogenes differuerit, quem in hac disputatione sequi potissimum instituimus, ex alijs, aliquid, cum commodum erit, transferemus, Hermogenem vero ut principem, & ducem adhibebimus. magnitudini itaque orationis sex species subiecit Hermogenes: quae sunt, circuitio, dignitas, splendor, asperitas, vehementia, & vigor. ex his primum de circuitione disputabimus, in eoque ab Hermogene tantisper discedemus, quod haec sola ex istis sex formis in causis paruis, & magnis maximum locum habere videatur. sententiae igitur circuitionis primum sunt, cum a generali ad speciale, aut a toto ad partem, aut ab infinito

ad

ad finitum delabitur nostra oratio. a generali quidem ad speciale: ut initium orationis pro rege Deiotaro, cum in omnibus causis grauioribus. C. Caesar initio dicendi commoueri solemus vehementius, quam videtur vel usus, vel aetas mea postulare, tamen in hac causa ita me multa per turbant, ut quantum mea fides studij mihi afferat ad salutem Regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. in hoc exemplo generale est in omni causa timere, speciale in hac Deiotari vehementius commoueri. ab infinito ad finitum (nam a toto ad partem facile, cuiusmodi sit, intelligitur) ut in exordio eius pro domo sua: cum multa diuinitus, pontifices, a maioribus nostris inuenta, atque instituta sunt, tum nihil praclarus, quam quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summae Reip. praesse voluerunt, in hoc exemplo circuitio sententiae facta ab eo, quod infinitum, & incertum est, id est ex multis ad unum, quod certum, & finitum est. ex hoc genere sententiarum profiscuntur illae praeteritiones, cum dicimus nos aliquid nolle dicere, ut illa breuissima in Quinctiana: ut alia omittam, hoc satis est, nam ab eo quod incertum est, ad id quod certum est, & finitum delabitur. sententiae quoque illae propriae sunt huius ideae, cum aliquid assumitur secundum collectionem,

vt loquitur Hermogenes, id est numero certo comprehensum, deinde subiunguntur eius numeri partes: vt in Maniliana, *ego scio statuo in optimo imperatore quattuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem.* vides aperte in hoc exemplo ex circuitione additum fuisse numerum. nam M. Tullius illud tantum voluit dicere, statuo in optimo imperatore inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem. neq. vero mirandum illud est, his sententijs secundum enumerationem fieri orationem perspicuam, quod alterius ideae est proprium. nam quatenus assumitur aliquid foris praeter id, quod dicitur, facit circuitionem: sed quatenus monet antea auditores, de quot rebus dicturus est, reddit orationem perspicuam. fiunt etiam huius generis sententiae, cum in oratione adhibentur variae circumstantiae, neque res nuda proponitur: qualis est ingressus orationis pro Flacco, *cum in maximis periculis huius urbis, atq. imperij, gravissimo, atq. acerbissimo Reip. casu, socio, atq. adiutore consiliorum, periculorumq. meorum L. Flacco, caedem a vobis, coniugibus, liberis vestris, vastitatem a templis, delubris, urbe, Italia depellebam, sperabam iudices, honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quam*

mi-

miseriarum deprecatores. aut cum augetur oratio multitudine eiusdem circumstantiae, & praesertim causarum: vt in exordio Manilianae, *nam cum antea per aetatem nondum auctoritatem huius loci contingere auderem, statueremq. nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere, omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.* quod si ratio rationis, aut causa causae afferatur, fiet oratio magis circuitioni accommodata, ac praesertim si fiat intra eandem periocham, aut etiam cum differentia adhibetur: vt in Miloniana, *obuiam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graccis comitibus, ut solebat, sine uxore, quod nunquam fere.* multae in hoc loco differentiae, vt circuitionem reddunt pleniorum. qualitas item rei, aut quantitas ad sententiam circuitionis pertinet: vt in ea pro Marcello, *totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est in quantum:* quantitas rei interposita illis verbis, quod certe maximum est. qualitas, vt in illo ex Cluentiana, *socrus generi sui, contra quam fas erat, amore capta.* illa quoq. ad sententias circuitionis referuntur, cum commemoramus, quae accidere potuissent, nisi hoc factum fuisset: vt M. Tullius libro nono epistolarum ad Varronem, *amavi amorem tuum, qui te*

V 2

ad

ad scribendum incitavit, verentem ne Silius suo nuncio aliquid mihi sollicitudinis attulisset. circuitio- nis praeterea sensum facit, cum addimus aliquid praetermissum, aut neglectum, quod heri debuisset: vt, haec ille negligēs, atq. despiciens, alio cogitationes suas traducebat. huc referri posse videntur illa, *intuens, contēplās, considerans haec faciebam, aut dicebam*: quale illud ex primo de oratore, *ac mihi quidē saepe numero in summos homines, ac summisingenijs praeditos intuenti, quaerendum esse visum est* &c. eodē pertinere videtur illud *ἄξιωματικὴν* Theonis, quo ab altero petimus, vt sibi aliquid persuadeat: vt *illud tibi persuadeas velim, te nil mihi gratius facere posse*. Postremo fiunt huiusmodi sententiae, cum iudicium hominum adhibetur: vt secunda Verri- na, *C. Verres vita, atq. factis hominum iudicio damnatus*. Methodus circuitio- nis fit, cum posteriora prius, & priora posterius ponuntur: vt probationes priusquam id, quod probatur: vt pro lege Maniliana, *quoniam appetentes laudis, & gloriae praeter ceteras gentes semper fuistis, delenda est vobis illa macula superiore bello Mithridatico suscepta*. dictio aut nulla est certa circuitio- nis, vt voluit Hermogenes, quia quoduis genus dictionis potest cadere in circuitio- nem, aut si sit aliqua erit illa cum vocabula vocabulis, incisa inci-
sis

sis adiunguntur, aut membra membris, quae idem valeant: quod tamen Hermogenes ad methodū potius circuitio- nis, aut certe grauitatis, quam ad dictionem pertinere arbitrat: quod commorando in eadem sentētia fiat, vt expositum est, & illustratum exēplis, cum de pneumate disputabamus. plenae autem sunt orationes Ciceronis, aut potius omnia eius scripta huius commorationis. ad figuras igitur accedamus, quae plurimū ad circuitio- nem efficiendam valent. multae quidē sunt huiusmodi, & praesertim illae, quae animum suspensum tenent, dum secūda, aut tertia sententia addatur. qualis est primum ea figura, quam ordinem appello, commodius, vt videtur, quam Hermogenes qui eam enumerationem appellauit. enumeratio siquidem fieri potest absq. vllō ordine partium, vt illa supra proposita ex Manliana: *ego enim sic statuo in optimo imperatore* &c. at ordo partium suspendit maxime animum auditoris, aut lectoris, quod est maxime proprium circuitio- nis, praesertim cum pars vna ab altera longius abest. nam si proprius distet, facit potius dilucidam, aut simplicem orationem, quam circuitio- nem: nō quod vtrunque non faciat, nam vtrunque quidem efficit, & diuersa ratione pro natura cuiusq. ideae: nam, quia animos suspen-

fos tenet expectatione aliarum partium, facit circuitionem: quoniam autem ordine, & in partes breui digestam explicat, reddit perspicuam, & planam orationem. neq. vero minuta illa, & tenuis dissimilitudo hoc loco adhibenda est, vt ordo dicatur, cum in partium enumeratione vsurpantur haec vocabula primi, secundi, tertij &c. ordini autē simile appelletur, non ordo, cum secundū, aut tertium non enunciamus, sed pro illis adhibemus illa, alteram, deind, tum, & si quae alia eiusdem generis. vtrunq. certe melius est vno ordinis communi nomine notari. exemplum igitur huius figurae breue quidem erit illud ex ea pro Caecina, *maxime fuit optandum Caecinae, recuperatores, vt controversiae nihil haberet, secundo loco, vt necum tam improbo homine, tertio, vt cum tam stulto haberet.* quod si haec eadem figura fiat cū aliqua interpositione sententiae, magis ad circuitionem pertinebit: vt illa ex Liciniana *primum Antiochiae (nam ibi natus est loco nobilitatis, & celebrae quondam urbe, & copiosa, atq. eruditissimis hominib. liberalissimisq. studijs affluenti) celeriter antecellere omnib. ingenij gloria contigit, post in ceteris Asiae partib. etcet.* hic longa interpositio fecit veram circuitionem. electio quoq. est figura circuitionis: quae fit cum vnum potius quam alterum sumere, aut

aut eligere videmur: vt in ea pro Balbo, *ego sic statuo in hac causa a me pietatis potius quam defensionis, querelae potius quam eloquentiae, doloris potius quam ingenij partes esse susceptas.* Hypothesis fit, cum pendet oratio ex coniunctione, si: vt prima Verrina, *si quis vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur, me, qui tot annos in causis, iudicijsq. publicis ita sum versatus, vt defenderim multos, laeserim neminem, subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere, is si mei consilij causam, rationemq. cognouerit, vna & id. quod facio, probabit, & in hac causa profecto neminem praeponendum esse mihi auctorem putabit.* potest etiam fieri cum partitione: vt pro Balbo, *si auctoritates patronorum in iudicijs valeret, ab amplissimis viris L. Cornelij causa defensa est: si ius, a peritissimis: si ingenia, ab eloquentissimis: si studia, ab amicissimis, & cum beneficijs cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis.* haec posterior hypothesis, quae fit cum partitione, magis comprehendit circuitionem orationem, quam altera, quae sine partitione fit. quapropter partitione animus magis suspensus tenetur. obliqua oratio fit, cum ablatiuo absoluto: vt Cicero Furio *lectis tuis litteris, quib. declarabas, aut omittere, Narbonenses, aut cum periculo dimicandum, illud magis timui, quod vitatum*

non moleste sero, aut per vocem, cum, & modum subiungendi, ut in ea pro Plancio. *cum propter egregiam, & singularem Cn. Plancij, iudices, in mea salute custodienda fidem tam multos, & bonos viros eius honori viderem esse fautores, capiebam animo non mediocre voluptatem & cet.* aut per dativum singularem participij presentis temporis vocis actiuae. videtur enim idem, quod superiora, valere. ut M. Tullius lib. secundo de diuin. *Quaerenti mihi, multumque, & diu cogitanti, quamam rem possem prodesse quamplurimis, ne quando intermitterem consulere Reipub. nulla maior occurrebat, & quae sequuntur.* Subcontinuatio cum vocabulis subcontinuatius, ut Grammatici loquuntur: ut epistola decima libri decimi quinti ad senatum. *quando id accidit quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam, etcetera.* Redditio fit cum vocabulis, quae inter se respondent, ut in praefatione accusationis in Verrē. *Quod erat optandum maxime, iudices, & quod unum ad invidiam vestri ordinis, infamamque iudiciorum sedandam maxime pertinebat, id non humano consilio, & quae sequuntur.* extant autem innumerabilia vocabula, quibus redditiones consignari possunt: ut is qui, tā quam, talis qualis, tantus quantus, ita ut, etsi tamē, quanquam tamen, quasi sic, quemadmodū sic.

fic, sicut sic, & alia quae longum esset persequi. conquirenda autem magno studio ab eo, qui velit periochas apte, & in orbem redigere. partitio fit vocabulis vnius alterius, aut quae idem valeant, ut partim: ut in ea in Vatinius, *reliqui sex fuerunt, ex quibus partim tecum plane sentiebant, partim medium quandam cursum tenebant:* haec figura, ut ceterae huius generis, quanto redditiones longius disiunctas habuerit, tanto certius circuitionem faciet. nam si paullo breuior fuerit, celeritatē potius afferet orationi, de qua post dicemus. si autem ornatio fuerit, ut in eius membris paria paribus reddantur, reddet orationem venustā, quod est alterius ideae, de qua postea disputabitur. coniunctio fit, cum oratio continetur coniunctionibus copulatiuis, ut Grammatici loquuntur: ut prima epistola lib. decimi quarti ad Terentiam, *& literis multorum, & sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem, & fortitudinem esse, teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari.* haec figura, quanquam non numeratur ab Hermogene hoc loco in ijs, quae circuitionem perficiunt, tamen, cum disputat de velocitate orationis, eam quoque in hunc numerum refert. neque vero hae figurae tantum quibus animus auditoribus suspensus tenetur, afferunt circuitionem orationi

verum etiam aliae, de quib deinceps dicen-
 dum. ablatio igitur inferens fit, cum oratio
 coniungitur his vocabulis, non sed: vt epi-
 stola decima septima lib. quinti ad Metel-
 lum. *non oblivione amicitiae nostrae, neq. inter-
 missione consuetudinis meae superiorib. tempo-
 rib. ad te nullas litteras missi, sed quod priora
 tempora in ruinis Reip. nostrisq. iacuerunt, po-
 steriora autem me a scribendo tuis iniustissimis,
 atq. acerbissimis incōmodis retardarunt.* haec
 figura non collocatur inter eas, quae suspē-
 dunt animum auditoris, quia sola ablatio
 figuram facit, eamq. venustissimam, in qua
 animus non tenetur suspensus: vt in exem-
 plo supra proposito ex Miloniana, *nulla
 rbeda, nullis impedimentis, nullis comitib. Grae-
 cis &c.* vbi post ablationem nihil infertur,
 quod ponatur. sed illustrius ablatio cerne-
 tur in hoc exemplo ex nona Philippica: *ita
 q. non illum vis hyemis, non nives, non longitudi-
 do itineris, non asperitas viarum, non morbus in-
 granesceus retardavit.* sed ad aliam figuram
 huius generis veniamus. copulatio dirimēs
 continetur vocabulis non modo, sed etiam,
 aut quae idem valeant: vt epistola vigesima
 nona libri duodecimi ad Cassium: *non modo
 te, cui omnia nostra notissima sunt, sed neminem
 in populo Romano arbitror esse, cui sit ignota ea
 familiaritas, quae mihi cum L. Lamia est.* con-
 uolu-

uolutionem addit his figuris Hermogenes.
 ea fit, cum ita est periocha suis membris, &
 incisus colligata, vt nulla pars eius possit
 percipi, quin ceterae comprehendantur: vt
 in ea pro Flacco, *cauete, ne periculosum, su-
 perbumq. sit, eius vos obsecrationem repudiare,
 cuius preces, si dii aspernarentur, haec salua esse
 non possent.* hanc ego figuram libenter prae-
 termissem, quod fere alijs figuris huius ge-
 neris, vt redditione perficiatur, nisi auctori-
 tati Hermogenis parendū censuissem. inter-
 positio fit, cū aliquid interponitur, quo de-
 tracto sensus periochae cōstat: vt in Manilia-
 na, *quae ciuitas antea unquā fuit, nō dico Athe-
 niensū, quae satis late quōdā mare tenuisse dicitur,
 nō Carthaginensū, qui per multū classe, maritimis
 q. reb. valuerūt: nō Rhodiorū, quorū vsq. ad no-
 strā memoriā disciplina navalis, & gloriarensā
 sit: quae ciuitas antea unquā tā tenuis, quae tā par-
 ua insula fuit, quae nō portus suos, & agros, & ali-
 quā partē regionis, atq. orae maritimae per sei-
 psum nō defēderet?* haec figura si breuis sit, velo-
 citatē potius orationis quam circuitionem
 facit, vt in disputatione de velocitate copio-
 sius dicetur: sin autē longior, circuitioni ma-
 gis quā velocitati cōgruit. est autē maximus
 huius figurae vsus, vt post exponemus, ne
 fiat oratio, vt Graeci loquūtur, supina, id est
 incers, & tarda: quod est in narationib. in pri-
 mis

mis vitandum. hae omnes figurae tanto magis propriae circuitiois sunt, quanto longius disiunctam, vt supra monuimus, habent redditionem. quod si multae ex his figuris eadem periocha implicentur, fit oratio plena: qualis est prima orationis Manilianae, *quanquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites, tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuiq. maxime patuit, non mea me voluntas, sed meae vitae rationes ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt.* in hoc exemplo vides redditionem, coniunctionem, interpositionem, ablationem inferentem. tales sunt fere omnes periochae a quib. M. Tullius suas orationes exorditur. ex ceteris partib. quae possunt in quaq. idea adhiberi nullam habet propriam circuitio. in quavis enim longitudine membrorum, in quavis compositione, & clausula, potest circuitio inueniri. haecenus de circuitioe.

De auctoritate.



Auctoritas sequitur circuitioem: quia res natura graues complectitur, neque postulat ceterarum formarum

marum magnitudinis intelligentiam. eius sententiarum quattuor sunt genera ab Hermogene exposita: primum quod de rebus diuinis citra vllam fabulae explicationem disputat: vt in eade haruspicum responsis *etenim quis est tam vecors, qui aut, cum suspenderit in caelum, Deum esse non sentiat? & ea, quae tanta mente sunt, et vix quisquam arte vlla ordinem rerum, ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet? &c.* quod si fabulas admisceas, vt faciunt poetae, non erunt sententiae huius ideae, sed potius alterius, quae suavis redditur oratio. eam ideam sub oratione morata persequemur. secundum genus est, cum res naturales citra vllam causarum explicationem ab oratore describuntur. nam si causas rerum naturalium oratio persequatur, erit quidem plena auctoritas, non tamen forensis, neq. ciuilis. qualis est descriptio illa magnam partem secundo de natura deorum, cum persequitur M. Tullius fabricam corporis humani. at illud Virgilianum primo Aeneidos magis pertinet ad hanc disputationem.

*Haec ubi dicta, cauum conuersa cuspide montē
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, & terras turbine per
Incubere mari: totumq. a sedibus imis, flant.
Vna Eurusq. Notusq. ruunt, creberq. procellis
Africus,*

Africus, & vastos voluunt ad littora fluētus.

Tertium de nostris rebus natura quidem grauibus, & magnis disserit, vt de virtutib. de republica, de animis nostris, dum oratio ad id, quod speciale est, non demittatur: vt in somnio Scipionis, *sed quo sis Africane alacrior ad tutandam Rempub. sic habeto, omnib. qui patriam conseruarint, adiuuerint, auxerint, certum esse in caelo, ac desinitum locum, ubi beati aeterno fruuntur.* ac, vno verbo, quoties de reb. humanis generali quadam sententia aliquid pronunciamus, auctoritatem orationi comparamus. quarti generis sunt historiae mirabiles, & inusitatae, aut certe rerum magnarum, & illustrium: qualis illa Horatij Coclitis, cum solus sustinuit exercitum Etruscorum in ponte sublicio. methodus triplex est: prima cum affirmate, sine vllaq. dubitatione sententiam pronunciamus: vt in superiorib. exemplis apparuit. secunda cum per allegorias, id est continuatas metaphoras citra humilitatem rem aliquam exponimus: vt in eodem somnio Scipionis, cum disputat de concentu caelorum, nisi forte M. Tullio probatur sententia illa Pythagoreorum aptius igitur exemplū erit allegoricae methodi illud ex Phaedro Platonis, quod avertit Hermogenes: *magnus itaq. dux in caelo Iuppiter volucrum curram agitās*

pri-

primus progreditur & quae sequuntur. quod si in re vili, & abiecta allegoria adhibeatur, nullam avertit orationi auctoritatem: qualis est illa Aristophanis poetae facetissimi, cū fingit scarabeum pacis causa ad Iouem ascendisse. tales etiam finguntur a Platone in conuiuio de Cupidine. tertia fit per emphasim cū verbis proprijs sententia tamen est obscurior citra vllas sordes propter rei magnitudinem: vt cū Plato interprete M. Tullio docet mundum a Deo generatum his verbis: *probitate praestabat: probus nemini invidet. itaq. omnia sui similia generauit.* hae methodi in reb. naturā grauibus, vt in diuinis, augent auctoritatem: at in alijs generib. rerum, vt in controuersijs figuratis, quas per emphasim fieri docuimus, non auctoritatem quidem, sed acumen potius, & prudentiam oratoris declarant, aut, quod Graece melius dicitur, *δυνάμει*. dictio intexenda est ex vocabulis magis sonantibus: qualia sunt quae abundant syllabis longis, & vocalibus a, et, o, vt nomina fere verbalia in, o, aut in bilis, desinentia, quae fiunt ex verbis primae coniugationis, quae M. Tullius libenter adhibet in oratione: vt consolatio cōsolabilis. admonet autē Hermogenes si, a, et, o, in extremas syllabas vocabulorum cadāt, sonū fieri orationis vastiorē. metaphorae

etiā

etiam congruunt huic ideae, si moderatae, & verecundae sint: vt in ea pro Sylla, *tormen- ta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque:* translatio a gubernatore nauis petita. quod si duriuscula sit oratio, asperam reddit orationem, quae est alia idea grandis orationis quale est illud duodecima Philippica: *qui ex naufragio luculenti patrimonij in haec Antonia na saxa proiectus.* illud de saxis Antonianis duriusculum est: quanquam mitigatur naufragio patrimonij, quae metaphora mollior est. quanto autem durior fuerit metaphora, tanto asperiores faciet orationem. huiusmodi est illa ex ea pro domo sua: *ille gurges belluatus est tecum reipub. sanguinem.* sed in eiusmodi metaphoris modus adhibendus, ne dū asperiores videri volumus, in reprehensionem eruditorum incurramus: vt ille sophista, qui vultures appellauit sepulcra animata. permittentur fortasse haec metaphoraedithyrambicis, et Tragicis poetis, oratori tamen, & ceteris generib. poetarum vix, ac ne vix quidem conceduntur. nomina etiā adhibenda sunt saepius, quam verba in hac idea, & verbalia potius: vt in somnio Scipionis *deinde sup̄ter mediam fere regione m̄ sol̄ obtinens dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio.* quam paucissimis autem verbis in hac idea vtendum

dum, vt monet Hermogenes. huc videtur ^{3. Rhet.} illud Aristotelicum referendum, cum pluralem numerum pro singulari vsurpamus: qui tropus synecdocha vocatur: vt in Bruto, *nos visi sumus populo oratores,* atq. illud alterum ex eodem verbis peregrinis auctoritatem parari: vt *lychni* pro lucernis apud Ciceron. & Virgilium. Huic ideae accommodatae figurae sunt, recta primum oratio: quae fit recto casu, & modo indicandi: vt in Miloniana, *est profecto illa vis, & in his corporib. & in hac imbecillitate nostra inest quiddam, quod vigeat, ac sentiat, & approbatio sine vlla dubitatione, id est, cum approbamus, aut improbamus aliquid: vt in Liciniana dictū Alexandri comprobatur M. Tullius his verbis. & vere: nam nisi Ilias illa extitisset, idem tumultus, qui corpus contexerat, nomen etiam obruisset.* quod si aliquid cum dubitatione affirmes, ad moratam potius orationem, de qua postea dicetur, referendū est. & expositio item nostrae sententiae huc pertinet: vt in Maniliana, *ego sic statuo in optimo imperatore quattuor has res inesse oportere.* apostropha a dignitate, & auctoritate orationis remouenda est, quae fit, cum sermonem conuertimus ad alias personas: reiicienda item interpositio, atq. hyperbaton: de quib. supra disseruimus. haec si

X

qui-

quidem figurae imminuunt dignitatem orationis, & auctoritatem, atq. ad communem, & popularem sensum eam magis demittunt. longitudo membrorum breuior potius quā longior esse debet: quale illud erat ex libello de Vniuersitate, *probitate praestabat: probus nemini inuidet.* &c. conceduntur aliquādo et longiora, vt in superiorib. exemplis apparuit. sed quo breuiora, eo auctoritati aptiora. compositio ita, vt non multum laboremus de vitando hiatu, & vt oratio a longis syllabis incipiat, & in longas desinat, in texantur autem dactyli, anapaesti, paeones, epitriti, & iambi aliquando, sed frequētius spōdei. trochei autē, & ionici maxime huic ideae repugnant. hinc mutatis numeris mutatur & qualitas orationis, vt grauis, aut mollis dicatur, Ciceroni tamen vt ab Asianis edocto vehementer chorei probantur: praefertim si duplicentur, quos dichoreos Grammatici appellant, vt *comprobauit.* at Aristoteles choreum quoq. improbat, vt saltationi, & molli orationi aptiorem. clausulae in hac idea, vt in omnib. alijs, quod ad numeros pertinet, congruere debent ijs pedibus, ex quib. docuimus orationem in hoc genere componi oportere. posteriores etiam duae, aut tres syllabae longae potius quam breues esse debēt, atq. vltima, aut paenultima

ex

ex vocali, a, aut, o, aut alijs grandi sono praeditis constare. illud etiam obseruandum, vt nomine potius quā verbo, eoq. si fieri possit verbali, cōcludatur oratio: vt in illo exēplo, ex somnio Scipionis, quod terminatur in nomine *tēperatio.* atq. haec dē idea auctoritatis.

De splendore.



Via oratio nimia auctoritate efferi ita potest, vt sit intolerabilis, ex hilaranda est splendore quodā, & genere dicēdi illustri de quo ob hāc ipsam causā deinceps agēdū. sunt igitur sententiae quae pariunt splendorem eae, quib. maxime orator confidit aut quod sint earum rerum, quae illustres, & notae sunt, aut earum, quae a nobis, aut a maiorib. nostris praeclare gestae sunt, aut certae eae, quae cum leguntur, aut audiuntur magnā afferunt voluptatē, aut ad extremū ex eo genere rerum, in quashaec omnia, aut plurima conueniunt. nihil etiā splendidius in sententia, quā cū res narantur cum earū qualitate, & amplificatione. extant huius generis sententiae multae in orationib. Tullianis, sed illud exēplū omnium clarissimū in ea pro Sylla, *ego consul, cum exercitus perditorum ciuium, clādestino scelere conflatus crudilissimum, & luctuosissimum, exitium patriae compa-*

X 2

rasset

rasset, cum ad occasum, interitumq. Reipub. Catilina in castris, in his autem templis, atq. tectis Lentulus esset constitutus, meis consilijs, meis laborib. meis capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinq. hominib. apprehensis, atq. confossis, incensione urbem, interceptione ciues, vastitate Italiam, interitu Rēpub. liberaui. ego vitam omnium ciuium, statum orbis terrae, urbem hanc, deniq. sedem omnium nostrum, arcem regū, ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperij, quinque hominum amentium, ac perditorum, poena redemi. quod si historiae clarae, & illustres quartū genus sententiarum auctoritatis conficiebant, erant illae quidem illustres, sed admirabiles, & inusitatae, at haec quae splendorē perficiunt sunt illustres, & vsitatae: vt illa in ea pro lege Manilia, legati, quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt &c. Methodus fit, cum sententiae aperte, & simpliciter enunciantur, & cum magna fiducia sine vlla dubitatione, & sine interpositione: vt in ea pro Sylla, maxima voce, vt omnes audire possint, dico, semperq. dicam. illud etiam ad methodum splendoris referendum est, si res illustres illustrius referamus: quale illud Demosthenis, non per eos qui in Marathonica pugna occubuerunt. exemplum siquidem illustre

stre est, quasi dicat, non peccastis, cum pro Graeciae libertate periculū adijstis. id enim ipsum fecerant, qui in proelio Marathonio perierant, sed cum iureiurando hoc expresserit Demosthenes illustrius, & splendidius effecit, cum dicit, non peccastis, cum pericula ista adijstis, non per eos, qui in Marathonica pugna occubuerant. nam, vt ait Longinus, illo iure iurando, & laudē, & ἀποθώσιον mortuorum innuit, atq. superstitum cōsolationem, & ad res praeclare gerendas eorūdem cohortationem. dictio vt in idea auctoritatis. figurae ablatio: vt in superiori exemplo, sine tumultu &c. separatio, id est, cū quasi initium nouae sententiae exprimitur: vt in Maniliana, fuit hoc quondam fuit proprium P. Romani longe a domo bellare, & propugnaculis imperij sociorū fortunas, nō sua tecta defendere. haec figura fere fit cum recto casu, aut vocandi, vt in superiori exemplo: quam si antecedit aliqua breuis ad illam praeparatio, minus illustrem reddit orationem. vt si in eodem exemplo praeposisset M. Tullius haec verba, hoc tantum dicam, fuit hoc quondam, &c. sed cum eiusmodi illam non praecedit, tunc est perfecta separatio, & splendidior plane reddit orationem. quanquam autem haec figura splendidissimam facit orationem, si ab oratione, tamen recta initium

tium sumat, neq. continuo obliqua oratio illam excipiat, & quae longo spiritu producat, multum amittet splendoris. nam ipsa spiritus productio splendorem affert orationi. quamobrem pneumatica sunt maxime huic ideae accommodata. hanc sententiam Hermogenis satis confirmat superius exemplum ex ea pro Sylla. in eo enim recta primum oratio inest, deinde obliqua pneumatica producta. ex eodem simul exemplo intelligitur figuram a syndeton, id est cum vincula coniunctionum ex oratione tolluntur, huic ideae aptissimam esse: praesertim cum membra sunt longiora quod si & a syndeton, & recta oratio adhibeatur, neq. obliqua oratio rectam sequatur, dilucida potius, quam splendida fiet oratio. nam oratio obliqua magnam affert ad splendorem adiumentum. membra quo longiora, eo splendidiora, ut ex hac disputatione apparuit. compositio esse debet, qualis in idea auctoritatis. quanquam possunt interponi trochei, dum clausula tamen sit auctoritati congruens. ita in superiori exemplo hi erant interpositi dichorei, *comparasset, constitutus*, & alij chorei, sed clausula in longas definebat. sed de splendore satis: nunc ad ceteras formas magnitudinis progrediendum est.

De aspe-

De asperitate.



X reliquis magnitudinis formis asperitas est simplicior, & quae minus aliarum intelligentiam postulat. de ea igitur deinceps disputandum huius propriae sententiae sunt, cum inferior obiurgat superiorem, nisi forte auditores ex eius reprehensione voluptatem capiant. tunc enim vehemens potius, ut voluit Hermogenes, erit oratio: ut si Demosthenes apud Athenienses Philippum insectaretur. hoc genere sententiarum reprehendit orator senatum, & iudices: ut M. Tullius quinta Philippica. *legatos vero ad eum mittere, de quo gravissimum, & severissimum iudicium nudius tertius decimus feceritis, non iam levitatis est, sed, ut, quod sentio, dicam, de mentis.* methodus, ut libere sententiae exprimantur, & ex nostra persona, non alterius, non in commune, neq. cum dubitatione vlla, aut correctione, aut praemunitione: quibus modis solet asperitas, & acerbitas orationis mitigari: ut in superiori exemplo. dictio dure translata, qua docuimus in idea auctoritatis orationem asperam fieri, aut quae constet ex litteris soni asperi ut, r, aut certe concursu litterarum aspero: ut Philip. 2. *Quae Charybdis tam vorax? Charybdim dico* &c. figurae apostropha, id est sermo ad alium conversus: & modus imperandi: ut in eadem, *tu civem sceleratum, & perditum Gal*

N 4

lorum

lorum. & Germanorum exercitu, pecunia, pediatu, equitatu, copijs instrues. apostropha cū modo imperandi: vt prima oratione M. Tulij in Catilinam: *hisce omnibus, Catilina, cum summa rei publicae salute, & cum tua peste, ac pernicie e, cumq. eorum exitio, qui se tecum omni scelere, parricidioq. iunxerunt, proficiscere ad impium bellum, ac nefarium.* & reprehensiones cum vocabulis appositis: vt quinta Philippica, *nonne eam factam prius vidimus, quam quisquam eam futuram suspicatus sit?* & interrogationes breues: vt in ea pro domo sua: *quis eras tu, qui dedicabas? quo iure? qua lege? quo exemplo? qua potestate?* omnes autem figurae possunt in hac idea, & in alijs singulis adhiberi, non tamen vt principes, sed vt quae secundum, aut tertium locum teneant. membra breuissima, vt potius incisa videantur: vt in superiorib. exemplis. compositio quāto rudiōr, & magis impolita, tanto aptior huic ideae: vt si oratio concursu vocalium hiet, atq. pedes, & numeri adhibeantur, ex quib. nulla concinnitas, nullum genus carminis fieri posse videatur, quiq. nullam videantur habere cognationē; vt spondei, & pyrrhichij. clausulae nunc in vnum, nunc in aliū pedem defināt, & vt sint omnino rudes & inconditae, vt in exemplis superiorib.

De

De vehementia.

Initima asperitati est vehementia. cuius propriae sententiae sunt, cum superior inferiorem reprehendit, vt imperator milites, aut par parem; vt orator aduersarium. multa harum exempla in accusationib. Ciceronis: vt tertia Verrina, *quid expectas? andum Malleolus existat ab inferis, qui a te officia tutelae, sodalitatis, familiaritatisq. efflagitet? putato illum adesse homo auarissime, atq. spurcissime? redde bona sodalis filio si non quae abstulisti, at quae confessus es.* aut cum inferior reprehendit superiorem, dum auditores ex ea re capiant voluptatem: vt cum Demosthenes insectatur regem Philippum apud populum Atheniensem, vt supra monuimus. sententiae huius ideae sunt multo acerbiores, quam illae asperitatis adeo, vt conuicia potius, quam reprehensiones videantur: cuiusmodi erant in communi loco. quod si aliquis morosus velit illas vehementes, has contra asperas appellare, non repugnabo, dum idearum, & reprehendendi formas distinguat. Methodus eadem fere, atq. in asperitate, sed liberior, vt apparuit in superiori exemplo. dictio item vt in

X 5 asperi

Libro. 8 asperitate, sed in hac licet noua nomina facere: vt pro domo sua, *quid te tulisse contra me dicit parricida, fratricida, sororicida, quod extra ordinem non tuleris?* in quo exemplo noua sunt illa nomina fratricidae, sororicidae, cū parricidij nomine haec omnia crimina a Latinis comprehendantur, vt ait Quinctilianus. figurae quoq. vt in asperitate, additur tamē illis demonstratio, quae fit vocabulis, quib. aliquid quasi digito demonstramus: vt tertia Verrina, *haec est illius tutela: en cui tu liberos committas, en memoria mortui sodalis, en metus viuorum existimationis.* hae figurae, & illae asperitatis congruunt mirifice ijs criminibus, aut reb. quae videntur non posse negari. membra vt in asperitate, & breuiora etiam, vt singula verba incisum efficiant, immo minus quam incisum, vt sint paene singulis vocabulis singula incisa comprehēsa: propter quam causam videtur vere obseruasse Eustathius asyndeta huic figurae quoq. conuenire. vt in apostropha Ligariana, *quid ille tuus districtus, cum dicit, manus? oculi?* cetera, vt in idea asperitatis.

De idea vigoris.

Idea vigoris (neque enim Latine licet melius illam nominare) vltima est inter species magnitudinis. haec nihil

hil habet proprium, sed omnia ex alijs ideis deprompta. nam sententiae, & methodi sunt in ea asperae, aut vehementes. dictio vero, & figurae partim vehementes, aut asperae, partim splendidae. ceterae partes ex splendore petēdae sunt: vt, in Diuinatione cum M. Tullius reprehendit oratoriam facultatem Q. Caecilij his verbis, *putas ne te posse, cum causas sociorum, fortunaesq. provinciae, ius populi Romani, & grauitatem iudicij, legumq. susceperis, tot res, tam graues, tam varias, voce, memoria, consilio, ingenio, sustinere? putas ne te posse, quae C. Veres in quaestura, quae in legatione, quae in praetura, quae Romae, quae in Achaia, Asia, Pamphyliaq. peccauerit, vt locis, & temporibus diuisa sunt, sic oratione, & criminibus distinguere? putas ne te posse, quod in hoc reo maximo est necessarium, facere, vt, quae ille libidinosae, quae nefariae, quae crudeliter fecerit, ea aequae acerba & indigna videantur esse ijs qui audient, atq. illis visa sunt, qui senserunt?* atq. haec de ideis magnitudinis.

De idea perspicuitatis.

Perspiciuitatem perficiunt duae ideae puritas orationis, & distincta oratio. sententiae puritatis sunt ex

com

communi sensu depromptae: quae nihil habent per se ipsas argutum. nam, si finem spectes, propter quem in oratione afferuntur, videbuntur multum habere acuminis, quod pertinet ad methodum prudentiae: sed nos, quod est huius instituti, exemplum purae sententiae sumamus ex quarta Verrina: *Sossippus, & Epicrates duo fratres Agrinenses fuerunt: horum pater ab hinc duos, & viginti annos est mortuus.* Methodus, ut rem simpliciter sine villo sensu circuitiois aggrediamur. quod si aliqua sententia circuitiois in oratione pura adhibeatur, post rem ipsam, de qua agitur, collocanda, ut figuris saltem, aut dictione videatur oratio pura, quamuis re ipsa pura non sit, cum circuitioe sit ornata. erit igitur haec species quaedam adumbrata purae orationis. deinde methodus puritatis est, ut persequamur narrationem nudam simpliciter sine vlla interpositione, nisi forte ea brevis sit, & rara: ut in narratione Miloniana, *uxor, ut sit, dum se comparat, annus est.* dictio vsitata, non aspera, neque tropis abundans, ut in superioribus exemplis. figura puritatis maxime propria recta oratio, si per se ipsa consideretur. nam fieri potest, ut in sententijs puris diximus, quod in magna parte huius disputationis est intelligendum, si finem, propter quem haec afferuntur, spectes, aut

aut ea, quae sequuntur, ut contineant aliquid acuminis, quod referendum est ad methodum prudentiae. recta igitur oratio propria maxime purae orationis, & vno verbo, omnis figura, quae est a circuitioe aliena. quamobrem & hyperbata procul a puritate orationis remouenda. exemplum illustre figurae purae erit illud ex quarta Verrina, *Sopater quidam fuit Halicyensis, homo domi imprimis locuples, atque honestus. is ab inimicis suis apud C. Sacerdotem praetorum rei capitalis, cum accusatus esset, facile eo iudicio liberatus est.* membra breuia, & quae propius accedant ad naturam incisorum, atque si fieri possit, ut singula sententiam expleant: ut in eadem Verrina, *ille Heraclius, & Sosippus longe mihi obviam processerunt: venienti Syracusas egerunt gratias: flentes: mecum Romam discedere cupuerunt.* compositio ex iambis frequentibus, & trocheis. neque vero hoc ita accipiendum, ut tota oratio ex his constet. isto enim pacto versus esset, non oratio soluta, sed ut initio periocharum huiusmodi numeros habeat, & ut in media oratione plures ex his, quam ex alijs, ac praesertim ex contrarijs. hoc autem idem intelligendum de pedibus, & numeris reliquarum idearum. in hac etiam pura oratione non magnopere vitandus hiatus, seu concursus vocalium. quod, cum videatur

tur negligentiae esse, aliquando summae diligentiae loco habetur: vt prima epistola ad Lentulum, *ego omni officio, ac potius pietate erga te ceteris satisfactio omnibus. mihi ipse nunquam satisfactio.* clausula debet esse consentanea iambica, aut trochaicae compositioni. sed quam de numeris, & clausula multa a nobis praecipuntur, parum illa valent ad singulas ideas perficiendas, nisi forte ad vnam venustatis, etsi afferunt aliquid ornamentum.

De oratione distincta.

Peritas igitur orationis perspicuam facit orationem, distincta autem oratio (sic enim Latine interpretor paullo liberus *ῥῆξις*) facit, vt si quid incidat, quod perspicuitatem possit conturbare, emendetur. quod fit potissimum methodo, & ordine. habet tamen, & alias partes, vt ceterae ideae. distinctae igitur orationis sententiae sunt, quibus praeparamus animum auditoris ad futuram disputationem, quae communi nomine praemunitio appellatur: vt in Maniliana, atq. *vt omnes intelligant me L. Lucullo tantum impertiri laudis, quantum forti viro, & sapientissimo homini, & magno imperatori*

debeat, dico eius aduentum, & quae sequuntur, aut cum proponimus, vt in eadem, *dicendum est de singulari, eximiaque virtute Cn. Pompeij,* aut cum transitionem adhibemus. fit autem transitio, cum breui concludimus, quod antea disputatum est, & proponimus, quod deinceps explicandum est. in quo simul sunt sententia, & methodus orationis distinctae. sententia quidem, quia proponimus, quod disputandum est, methodus vero propter ordinem eius quod antea actum, & deinceps agendum, vt in eadem: *quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* ad has sententias refert interpret Hermogenis prodiorthosim, & epidioorthosim. prodiorthosis fit, vt ait Aquila, cum praemunimus aliquid quod a nobis necessario dicendum, sed iniucundum futurum auditoribus, aut nobis inuidiam pariat: vt illud Ciceronis, *quoniam sentio, quanta hoc cum offensione dicturus sim, dicendum est.* epidioorthosis, cum post sententiam correctio adhibetur: cuius exemplum in ea pro Ligario, *quae fuit igitur unquam in villo homine tanta constantia? constantiam dico? nescio an melius patientiam possem dicere!* methodus sententiae dictae: quia in singulis ordo aliquis latens significatur, atq. vt ordinem naturalem obseruemus, vt in Maniliana, *primum de genere belli, deinde*

de magnitudine, tum de imperatore deligendo dicendum. aut etsi naturalis non est, tamen quia ordo propositus perspicuitatē affert, orationem facit distinctam, in quo aliquando commode admonemus ordinem a nobis perturbatum fuisse: vt epistola decima octaua lib. duodecimi ad Cassium, quod extremum fuit in epistola, quam a te proxime accepi, ad id primum respondebo. animaduerti enim hoc vos magnos oratores facere nonnunquā. hac methodo & oppositiones secundum naturam praepōnuntur solutionibus, vt in disputatione de illis exēplis propositis patuit. cur autem aliquando hic ordo inuertatur, in methodo prudentiae exponetur. dictio vt in idea puritatis. figurae hae fere sunt: enumeratio, ordo, partitio, de quib. supra disputatum est: quarta interrogatio sui ipsius cum responsione praesertim post longam disputationem: vt in oratione post reditum ad Quirites, quorsum igitur haec disputatio? quorsum? vt intelligere possitis &c. quinta epanalepsis, quae aut repetit eadem verba interpositis alijs sententijs: vt in Maniliana, quae ciuitas unquam fuit, non dico Atheniensem, quae satis late quondam mare tenuisse dicitur, non Carthaginensium, qui per multum classe, maritimisq. reb. valuerunt, non Rhodiorum, quorum vsq. ad nostram memoriam disciplina

manalis, & gloria remansit, quae ciuitas antea unquam &c, aut repetit sensum, non verba: vt initio Licinianae, si quid est in me ingenij indices, quod sentio, quā sit exiguum, aut si qua exercitatio &c. deinde in extrema periochane repetat nomina ingenij, rationis, & exercitationis, inquit, earum rerum omnium fructum iure hic Licinius a me repetere debet. ceterae partes vt in idea puritatis.

De idea venustatis.



Tertium genus idearum est venustas: quae extrinsecus tanquam ornamentum quoddam accedit orationi. nam ea quae fit ex temperatione omnium, aut plurimarum idearum, aut certe omnium partium, aut plurimarum cuiusq. ideae, non est huius loci. illa igitur, de qua disputandum hoc loco, neq. proprias habet sententias, neq. propriam methodum, nisi forte ad huius sententias referri velis argutam orationem, de qua post disputabitur. dictio vt in oratione pura: vocabula etiam quanto breuiora, tanto venustiora. figurae homoeoptoton, cum incisa, aut membra orationis cōcluduntur ijs vocabulis, quorū sunt eadem

eadē cōsecutiones grāmaticae: vt, *perfectū in genio, elaboratū industria* ex Maniliana. hic vtrūq; incisū incipit a participio praeteriti perfecti, & vtrūq; definit in casum auferendi singularē. Homocoteleutō fit, cū extrema vocabula incisorū, aut mēbrorū in eadē syllabas exeūt: vt pro Milone, *nō modo ad eius salutē evertēdā, sed etiā ad eius gloriā per tales viros infringēdā.* hae figurae, quia nimis festinae vidētur, ne fidem detrahant oratori nimia cura venustatis, occultari solent vno trium modorum: aut per longam interpositionem, vt in Maniliana, *reliquū est, vt de felicitate, quam praestare de seipso nemo potest, meminisse, & cōmemorare de altero possumus, sicut acquum est, homini de potestate deorum, timide, & pauca dicamus.* in hoc exēplo cū casus ille potestate homocoteleuton, cum casu alio scilicet felicitate constituere posset, celatum est verborū interpositione, atq; alio modo, qui deinceps sequitur: fit enim aliter, vt celetur cum vocabulū, quod extremo loco positum homocoteleutō perficiebat, trāsferatur in primum, aut medium locum: vt in Liciniana, *est ridiculum ad ea, quae habemus, nihil dicere, quaerere, quae habere non possumus.* Hic vides in fine prioris coli verbū, *dicere* & initio posterioris, quod exitu illi simile est, *quaerere*. tertio, fit, cū mēbra, aut incisa paria sunt inter se

ter se numero syllabarū. hoc modo occulta tur melius venustas, & minus suspectus videtur orator, immo etiam acrior videtur eius oratio, si posterius colon, aut incisum breuius sit: vt in Maniliana, *aut contemnant, aut oderint, aut metuant, aut timeant.* hanc figuram vocat Hermogenes parisosim, cui subijcit illā parechesim, de qua in figuris orationis disputatū est. ac illa quidem parechesis, & altera circuli figura ad venustatē orationis pertinēt, quod idē Hermogenes ibi monuerat. isocolō, vt ait Aquila fit cū incisa, aut mēbra pari numero verborū cōstāt: vt in Maniliana, *labor in negotijs, fortitudo in periculis* &c. Parison, vt idē Aquila inquit, fit cū verborū numerus est prope aequalis in mēbris, aut incisus: vt *neq; gratia, & diuitijs locupletū corruptus, neq; minus, & denūciatione potētū perterritus, neq; difficultatib. & magnitudine rei a proposita magnitudine deiectus.* antithetō fit, cū cōtraria inter se, aut discrepātia instar cōtrariorū cōparātur. cōtraria: vt in Cluentiana, *vicit pudor ē libido, timor ē audacia, rationem amentia.* discrepantia: vt in superiori, *labor in negotijs* & cetera. fit autē venustius antitheton, cum traiectione: vt quarta Philippica, *si consul Antonius, hostis Brutus: si Brutus conservator Reipub. hostis Antonius,* has tres proximas figuras

fortasse non expressit hoc loco Hermogenes, quod magna ex parte parifosi, vt ille loquitur, & alijs figuris, quas hoc loco tradit, contineantur. nos tamen, vt facilius ista percipi possent, eas distinximus: sed ad ceteras venustatis figuras pergamus. Anaphora fit, cum idem verbum repetitur in initijs incisorum, membrorum, aut periocharum: vt in Maniliana, *testis est Italia & quae sequuntur*. Antistropha fit cōtra, cum idem verbū iteratur in extremis incisio, aut membrum, aut periochis. vt pro Fonteio, *frumenti maximus numerus e Gallia: peditatus copiae amplissima e Gallia: equites numero plurimi e Gallia*. Epanastropha fit, cum ab eodem verbo, in quod desinit antecedens incisum, aut membrum, proximum incipit: vt in epistola quinta libri sexti, *quotiescunque filium tuū video (video autem fere quotidie)* aut incipit ab eo verbo, quod est pars superioris: vt, quarta Philippica, *negat hoc D. Brutus imperator consul designatus, natus Reip. ciuis*. hic modus posterior plus fidei, & auctoritatis detrahit oratori, quia apertius quaerit venustatem. Climax fit, cum a primo inciso, aut membro ad vltimum vsq. verbum, quod erat extremum in priori, fit primum in posteriori: vt pro Milone, *neq. se populo solum, sed etiam senatui commissit, neq. senatui tantum, sed etiam publi-*

publicis armis, & praesidijs, neq. ys tantum, sed etiam ei cui potestatem Reipub. senatus commissit. ablatio fit, cum tantum negamus aliquid, & nihil reponimus: vt nona Philippica: *itaq. non illum vis hiemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, non morbus ingrauescens retardauit*. haec figura sententiam simul facit circuitionis, vt supra explicatū est partitio secūdū patria fit, cū singulis partibus singula incisa, aut mēbra respōdēt: vt initio Cornelianae, *si auctoritates patronorum in iudicijs valerent, ab amplissimis viris L. Cornelij causa defensa est, si usus, a peritissimis, si ingenia ab eloquentissimis, etcetera*. haec figura venustior erit, si quae respondent incisa, aut mēbra paria fuerint numero syllabarum. fit quoq. venusta oratio, cum duae negationes loco affirmationis adhibentur: cui figurae nullum est nomen, quod sciam, impositum appellari autem potest ex effectu affirmatio: vt initio tertiae Verrinae. *neminem vestrum ignorare arbitror, quasi dicat omnes vos scire arbitror*. hyperbaton additur his figuris ab Hermogene non illud quidem, quod fit interpositione, de quo in idea circuitionis disputatum est, sed quod fit per dilationem cum verba, quae desiderantur ad sententiā explendam, in extreman orationem differuntur: vt in Clodium, *id sperasti, Remp. non diu-*

rius, quam quo ad mecum expulsa his moenibus
 careret, esse laturam? aliam etiam figuram in-
 ter has commemorat hoc loco Hermoge-
 nes, quam liceret Latine inuolutionem no-
 minare: eam docet fieri aut nominibus, vt
 loquuntur grammatici, partitiuis, aut distri-
 butiuis, cum pluralis numerus cum singula-
 ri iungitur: vt illud Virgilianum, *pars in fru-
 sta secant*, aut per anastropham, cum inuerti-
 tur scilicet ordo partium orationis, & prae-
 fertim cum accedit tmesis, idest diuisa par-
 tium compositio interpositis alijs vocabu-
 lis: vt Cic. in Tusc. *quo ea me cunq. ducet*, &
quib. de reb. cunq. Potest haec figura fieri quo-
 cunq. alio modo fiat aliquid noui in oratio-
 ne secundum praeceptiones Grammaticas.
 sed plus affert venustatis, quae apud eundem
 sequitur figura polyptoti. ea fit, cum repeti-
 tur idem verbum mutatis attributis gram-
 maticis, praesertim si fiat per cola: vt in Li-
 cianiana, *sed pleni omnes sunt libri, plenae sapien-
 tiam voces, plena exemplorum vetustas.* et in
 Maniliana *testis est iterum, et saepius Italia.* dein-
 de sequitur, *testes vero iam omnes orae*, in quo
 exemplo mutatus est numerus ex singulari
 in ploralem. neq. vero dubitandum, quin
 aliae figurae venustatem, & pulchritudinem
 possint comparare: vt symploca illa, de qua
 in disputatione de pneumate disseruimus,
 & me-

& metathesis Rufiniani, quae fit, cum voca-
 bula venuste traiciuntur: qualia illa in Bru-
 to, *consultorum alterum disertissimum, diserto-
 rum alterum consultissimum.* sed Hermoge-
 nes ista figillatim persecutus non est, quod
 ad eas figuras, quas tradiderat, reuocari pos-
 se existimaret, aut quod ex ijs, quas exposuis-
 set, arbitraretur ceterae, ad quam ideam
 pertineret, facile percipi posse. incisa, &
 membra mediocriter longa in hac idea ef-
 se debent. nam si breuia fuerint, eadem fere
 figurae omnes, quae venustam reddebant
 orationem, facient illam potius velocem,
 vt in idea velocitatis exponetur. venusta-
 tem etiam pariunt, sed tenuem membra, &
 incisa cum ita implicantur, vt sensus ad ex-
 tremum vsq. pendeant, praesertim si breuia
 sint, neq. fiat tam interpositione, quam
 quod alia ex alijs pendeant: vt epist. se-
 cunda libri decimitertij ad Memmium,
*neq. tamen dubito, quin si tua nihil, aut non
 multum intersit, eo sis animo, quo ego esse in, si
 quid tu me rogares.* de compositione ma-
 gno opere in hac idea laborandum est: vt fe-
 cisse videmus Isocratem huius ideae stu-
 diosissimum. primum igitur vitandi hia-
 tus, & curandum quoque, vt composi-
 tio versum quidem non efficiat, quod
 vitio vertendum esset, sed vt proxime

me ad verfum accedat, non quemuis, sed eius generis numerorum, qui conueniunt ei ideae, cui venustas adiungetur. oportet etiam pedes eos adhiberi, qui inter se congruant, vt dactylos, & spondeos, & anapaestos, non dactylos & iambos, quanquam rhythmi obseruant nō esse omnino similes dactylos, & anapaestos propter variam percussionem. illud ad extremum elaborandum, vt vocabula, ex quibus constat oratio, vario numero syllabarum, varia carum quantitate, vario accentu praedita sint. nihil enim varietate ad venustatem perficiendam accommodatius. clausula in hoc genere pedula esse debet, nō insistēs. insistit autem, cū & rhythmus absoluit sententiam, & vltimum vocabulum longiusculum est, & in longas definit. quare oportet in hac idea, aut vltimam esse breuem, & breui vocabulo orationem concludi, aut certe paenultimam breuem esse: vt in Maniliana, *modus in dicendo quaerendus est.* ex his perspicuum fiet, cur venustiora existimentur ea carmina, quae in monosyllabum desinunt: vt illud Horatianum, *parturiunt montes, nascetur ridiculus mus,* atq. haec de venustate.

De velocitate.

Quia



Via oratio vt perspicua, grandis, & venusta sit, potest mollis esse, & ignaua, opusest praeter superiores ideas celeritate quadam, aut, vt Graeci loquuntur, oratione, quae conscindendi vim habeat, & quasi torum intueri videatur. haec itaq. idea nullas habet sententias proprias, nisi eas, quae argutae sunt, aut acutae, idest grauis ideae, quispiam velit huc referre: de quib. in ideis orationis moratae, & grauitatis disputabitur. methodus eius est, vt breuissimis oppositionibus breuissimae solutiones accommodentur: vt in ea de prouincijs consularibus, *an reditus in patriam habet aliquam offensionem? an apud populum? a quo missus est. an apud senatum? a quo ornatus est.* dictio nulla propria nisi forte, quae constet syllabis breuib. figurae trium generum sunt: primi quidem, quae videntur reddere velocem orationem, neq. reddunt tamen: hae sunt interpositio, & obliqua oratio, quae exprimitur vocabulo cum & subcōtinuatio: vt epist. duodecima libri quarti, *postero die, cum ab eo digressus essem, vt ab Athenis in Boeotiam irem, ille, vt aiebat, supra Maleas in Italiam nauigaturus erat.* aut reddunt velocem orationem, & videntur illud facere: vt apostropha, ac praesertim si

Y5

ad

ad varias personas breui' commutetur: exēplū apostrophae ex ea de Harusp. respōs. *te appello Lentule (tui sacerdotij sunt thesae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeque ludorū publicorum) (vosque Pontifices, ad quos Epulae Iouis Optim. Max. siquid est praetermissū, aut commissum afferunt, &c. & in ea pro domo, discite orationem Pontifices, & vos Flamines, etiam tu Rex discite &c.* A syndeton, id est, oratio sine vinculis coniunctionum, sed ita ut constet breuissimis incisīs, immo, quod breuius, & celerius est, singulis nominib. singula incisā concludat, ut in illo exemplo apparet Ligatiana, *manus? oculi? crebrae, & breues cōmutationes, quales sunt ordinis ex breuissimis incisīs: ut epistola septima libri tertij ad Appium, an ego tibi obuiam non prodirem? primum Appio Pulcro? deinde imperatori? deinde more maiorum? deinde (quod caput est) amico? partitio ex breuissimis etiam incisīs, qualis est illa supra proposita ex oratione de prouincijs consularibus. anaphora cum fit per incisā, & praesertim breuia: ut secundo Paradoxo: *non magnitudo animi, non grauitas, non fides, nō constantia cruciabat. antistropa per incisā eodem modo: ut patre vita priuasti: filium vita priuasti: matrem vita priuasti.* symploca quamuis ab Hermogene nō traditur separatim, fortasse quia ad anaphoram,*

phorā, & antistrophā potest referri, ad hūc locū pertinet, praesertim cū cōstet breuissimis partibus: ut pro Milone, *quis eos produxit? Appius. quis eos postulauit? Appius.* coniuctio, si fiat per incisā breuissima: ut epistola duodecima li. quarti. *itaque ei & pro collegio, & pro propinquitate & uino, & mortuo omnia officia praestitimus.* his figuris addit Hermogenes in disputatione de uenustate homoeoteleuta, aut, ut ille vocat, parisofes, cū mēbra sunt omnino paria numero syllabarū, praesertim si vltimum breuius sit: cuius exēplū ibi proposuimus. in exēplo tamē, quod ibi affertur ab Hermogene ex ea de corona Demosthenis, videtur magis celeritas inueniri propter asyndeton, quam propter figuram parisofis. ac propterea consulto videtur Hermogenes suā illam parisofim hoc loco non numerasse. sed de his figuris satis. figurae quae reddunt orationē velocē, neque tamen videntur id praestare, sunt altera obliqua oratio: ut, *cogitanti mihi* & quae sequuntur, & periodus inuoluta, quam conuolutionem supra ex Hermogene nominauimus: ut illa ex secundo libro epistolarum ad Curionē, *quarū laudū gloriā adamaris &c.* incisā quanto breuiora sunt, tātō huic ideae aptiora. cōpositio, ut fluat, nec ullū hiatū, aut cōcursū vocaliū, si fieri possit, admittat. in hanc cadunt

dunt aptissime trochei, & trochaicae compositiones. clausula, quae potius exeat in syllabas breues, quam in longas, quaeq. non insiltat, sed pendula sit.

De oratione morata, ac primum de simplicitate.



Equitur superiores ideas morata oratio. appellamus autem hoc loco orationem moratā, non illam, quam docet Aristoteles, vt tertiam persuadendi rationem, neq. illam, quae pro varietate personarum, & reliquarum circumstantiarum varie orationem accommodat, de qua idem disputauit, & a nobis in methodum prudentiae rejicitur, sed eam, quam perficiunt sex species, simplicitas, dulcedo, arguta oratio, modestia, veritas, & obiurgatio. simplicitatis sententiae sunt, vt in oratione pura, atq. etiam, quae simplicium personarum sunt: vt illa rusticorum quincta Verrina, *seruente prohibita, messe amissa, fructus annuus interit.* huiusmodi multae leguntur in Bucolicis pastorum, & rusticorum, & in comoedijs praesertim Plautinis adolescentum, virginum, & aliarum personarum. quae sententiae

vix

vix inducēdae ab oratore nisi decori causa, vt personae cōgruens oratio inducatur, aut quae de rebus abiectis disputant, quod fit fere in causis priuatis. nam in publicis ineptū est his vti, nisi aliqua ratione muniantur, vt aliqua idea magnitudinis. tale est illud pro Caecina, *de cloacis, de fossis, de aquarum, & itinerum controuersijs interdicit praetor.* potest tamen exemplum aptius quaeri. aut cum multa exēpla ex ceteris animalibus, & stirpibus proferuntur, vt tertia ecloga.

Dulce satis humor, depulsis arbutus hoedis:

Lenta salix, foeto pecori, mihi solus Amyntas.

Nam si vnum tantum exemplum, aut alterū afferatur, dulcedinem potius affert orationi, aut cum adigimus ad iusiurandum aduersarios, aut auditores, aut cum iureiurando demonstramus tanquam argumentis, quod probandum est: quale illud Plautinū in Truculento Stratilacis serui rustici: *ita me amabit sarculum, vt ego me ruri hamaxari mauelim patalem bouem, cumq. eo ita noctem in stramentis pernoctare perpetem, quam tuas centum coenatas noctes mihi dono dari.* sed cum iureiurando sic vtimur, vt habeat vim argumenti, hac tamen methodo expressam, tum splendorem potius, & magnitudinem, comparat orationi: vt in illo Demosthenis, *non peccastis per eos, qui in Marathonica pugna occubuerant.*

Me-

Libro. 2.
Rhet.

Libro. 3.
Rhet.

Methodus vt in oratione pura, praeterea cū singula minutatim narantur: vt facit Simo, prima scena Andriae, cum mores, & amores filij sui narat, & ea proponitur aliquid nude, & sine circuitione, quanuis graue sit, videtur tamen simplici idea proponi, si modū, quo effertur, spectes dictio, vt in oratione pura, quāuis Hermogenes propria quae dī vocabula attribuit simplici orationi, sed Graeca, quae Latinis non videntur concedi. vocabula praeterea argutae ideae huic tribuit, de qua paullo post disputabitur. figurae, membrorūq. longitudo vt in oratione pura, compositio itē: quae quanto magis soluta, eo simplicior erit: vt in exēplo superiore, *dulce satis humor*, & clausula stabilis, non quae pendeat: vt in eodem, *mibi solus Amyntas*. haec tamen de simplicis orationis idea ex Hermogene. plura quidē Aristides de his tradidit: sed haec melius ab Hermogene, & illustrius distinguuntur. nunc, quia dulcedo est incrementū quoddam simplicitatis, de ea deinceps disputemus.

De dulcedine.



Ententiae dulcedinis sunt fabulae poeticae, qualis illa sexta Verrina de raptu Proserpinae, cuius meminimus

mus in disputatione de naratione. huiusmodi fabulae parum decent orationem forensam, nisi excitentur celeritate orationis, aut quae proxime accedunt ad fabulas, qualis est naratio de bello Troiano: vt ea quae legitur secundo Aeneidis, aut historiae, quae habent aliquid fictum, sed plura vera continent: vt historiae Herodoti. vt illa tertio de officijs ex eodem de Gyge pastore Lydorū regis. *nā is, cum terra magna vi imbrīū discessisset, fertur in hiatum descendisse, reperisse equum, cuius aperto latere cadauer inusitata magnitudine cerneretur, ex cuius digito anulum aureū detraxit, quē, cum induisset, conuersa pala in palmam, ipse non cernebatur, contra inuersa cerni poterat.* dulces etiam sunt sententiae de amoribus: vt multae in comoedijs Terētianis, & de reb. praeclare a nobis, aut nostris maioribus, aut cognatis gestis, laudes item nostrarum rerū, qualis illa est Maniliana, *Italiam tutam habebamus, & socios in ultimis oris auctoritate nostri imperij saluos praestare poteramus,* & quae sensus nostros delectant: in quo curandum, vt honestae voluptates ab oratore proferantur: vt secūdo de natura deorum, *terra vestita floribus, herbis, arboribus: fontium perennitates gelidae, liquoros amnium perlucidorum, riparum vestitus viridissimi, spelūcarū latitudines cōcauae, saxorum* aspe

asperitates, impendentium motuum altitudines, atq. camporum immensitates. ita primo de oratore dulcissima illa oratio, qua aqua, & platanus ex Phaedro Platonis describuntur. & cum reb. mutis tribuimus ea quae sunt propria animatorum: vt pro Marcello, *parietes huius curiae Caesar tibi gratias agere gestiunt.* in hoc genere sententiae poetae, vt in alijs etiam dulcedinis multum sibi indulgent, & longius, ac liberius progrediuntur: vt cum mare fingunt discedere aduentu Neptuni, quasi intelligat quid agendum sit. & cum ceteris animalib. ea, quae hominum sunt, accommodamus: vt secundo de natura deorum, *canum vero quam fida custodia, quamq. amans dominorum adulatio? quantum in externos odium? quam incredibilis ad inuestigandum narium sagacitas? quanta in venando alacritas?* methodus vt in oratione pura, & simplici. dictio ea, quam simplicis propria esse diximus, & poetica, qualis apud Graecos Ionica dialectus. hinc dulcis etiam oratio existimatur, cum aliquid ex poeta aliquo affertur: vt in ea pro Coelio, *sed dubito sumam ne patrem vehementem, & durum Caecilianum, nunc mihi demum animus ardet.* quae ratio inferendi versus in oratione eo dulcior videtur, quo rarior est, vt lex aliqua, aut decretum. nam in illis citandis ita interrumpimus orationem,

vt

vt aliquando tacendum sit oratori, dum ea recitantur. quod si versus nosmetipsi veli museffundere ex nostro sensu de promptu, non sine aliqua praemunitioe, aut correctione id fieri debet. epitheta tandem orationem reddunt dulcissimam, vt constat ex poetis, sed modice adhibenda, vt docet Aristoteles, ne frigidiuscula nostra oratio videatur. poetis liberius ista permittuntur. hinc Stesichorus, quod his abundaret, habitus est dulcissimus. tales erant loci supra citati ex secundo de natura deorum M. Tullij. ornauit hac dulcedine saepe suam orationem M. Tullius, vt declarat volumen epithetorum a nobis, cum adolentes essemus, collectum. in quo tamen ea simul colliguntur, quae ille interiectu verbi reb. subiectis attribuit, *ὡς κατὰ γούμμενα*, vt Graeci loquuntur, quod existimaremus illa quoque epithetorum locum, vt censuit Aristoteles, aliquando tenere posse. arguta quoq. dictio, de qua mox dicemus, reddit orationem dulcem, figurae, vt in simplici, & pura, & venusta oratione. compositio vt in idea venustatis. clausula, vt in idea dignitatis, aut auctoritatis. quin & pedes, & numeri pleriq. omnes, vt in idea auctoritatis esse debent. ac de dulcedine orationis satis.

Libro. 3.
Rhet.

De arguta oratione.

Duo genera facit Hermogenesar gutae orationis: vnum cum sententias acutas simpliciter, & sine vlla circuitione enunciamus, cuiusmodi multas scribit idem apud Xenophontem inueniri, qualis est sermo ille Cyri morientis in extremo Catone conuersus ex Cyri paedia. aut contra cum simplices sententias acute explicamus: quod ad methodū referendum est. alterum genus argutae orationis, quod situm est, aut in significatione, in qua vocabulū adhibetur, aut in ijs, quae illud antecedunt, quod fiet apertius expositis ijs modis, quibus sit. sunt autē quattuor. primus cū vocabulum aliquod vsurpamus inusitata significatione, sed quae congruat etymologiae vocabuli: vt cum Sallustius *supplicia* dicit pro precibus: qui modus, vt ait Hermogenes, periculosus est. secundus per parechesim: vt tertia Philippica, *en vt magister illius ex oratore factus est arator.* qui modus, vt idem ait, frigidiusculus esse solet: tertius per antistasim, quae fit, vt inquit Rufinianus, cum idem verbum in eadem periocha & proprii, & aliena significatione adhibetur. dilogiā vocat Aconius: quale illud Tullianum ex lib. 2. in Ver. *dedit enim praeroga*

rogatiam suae voluntatis eiusmodi, vt isti pro praerogatiuis iam reddidisse videntur. quartus cum metaphora durior lenitur altera molliori metaphora, quae intra eandem periochā antecesserat: vt in Maniliana, *Corinthū patres vestri totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt.* duriusculum erat Corinthū extinctam dicere, sed quia praecessit metaphora luminis mitigatur posterior metaphora. vides vt in his tribus posterioribus modis captatur occasio argutae orationis ex eo, quod antecedit, in primo vero ex significatione vocabuli. haec de arguta oratione, deinceps de modestia agendum.

De modestia.

Modestia igitur habet omnia communia cum puritate, & simplicitate orationis praeter sententias, atque methodum. sententiae autem modestae fiūt cū res nostras extenuamus: vt initio Liciniana, *si quid est in me ingenij* & quae sequuntur aut cum aduersarios reprehensuri laudamus: vt in cōfutatione Maniliana, *at enim vir clarissimus. Q. Catulus* &c. aut cum docemus nos nolle accusare, sed defendere, aut ad accusandū inuitos accedere: vt in exordio primae Verrinae, *si quis vestrū forte miratur me, qui uenire laeseri, ad accusandū descendere* &c. si refert,

fit, qui dicit, dicet se, cum posset accusare, maluisse reum esse, seque contemni, quod vnus ex vulgo sit, a se que neminem vnquā accusatum fuisse. methodus modestae orationis, cum bona nostra sponte extenuamus quae cum dignitate, & laude nostra proferre possemus: cuius multa exempla apud Platonem sub persona Socratis inueniri notū est, & scribit etiam Hermogenes. aut, si quid aspere contra aduersarium dicendum, sponte minuimus: vt, si cum dubitatione, neq. aspere dicimus: idq. dupliciter. nam aut praemonemus illud, in quo est aliquid asperitatis, aut non praemonemus. praemonet, vt M. Tullius. 2. Verrina, cū infectaturus Hortensium inquit, *dicam aperte*. quod si nihil praemoneat, est mera modestiae methodus. ad hanc etiam methodum pertinet praeteritio, cum de nobis metipsis significamus nos nolle aliquid praedicare, aut contra aduersarios nolle aliquid dicere. quod item dupliciter fit. aut cum circuitione, cum rem ipsam nō exprimimus: vt in Quinctiana, *mitto cetera intolerabilia*, aut, cum rem ipsam exprimimus, quam figuram appellat Aquila paralepsim: vt quinta Verrina, *mitto vincula, mitto carcerem, mitto verbera*, & in ea pro Plācio de laude Iua: *nullus erit tā immemor meorum, non dicam in bonos meritorum, sed bonorum*

in me. vtroq. isto genere conciliat sibi animos auditorum orator, & dignus videtur, cui credatur: quod erat alterum genus persuadendi apud Aristotelem, cum videatur vltro modestus, sed in priori praeterea circuitione quadam auget orationē. est & alia methodus modestiae, si quis vtatur idea puritatis, & simplicitatis. decet enim modestū virum quaedam morum, & orationis simplicitas. atq. haec de modestia: nunc veritatis ideam persequamur.

Libr. I.
Rhet.

De veritate.



Veritas appellatur haec idea, quia hac vere, & sine vlla simulatione animi affectus exprimus. huius sententiae sunt eadem, quae simplicitatis, & modestiae, atq. etiam exclamatio, vt secūda Philippica, *o mores? o tempora?* & admiratio: vt in Maniliana, *pro Deus immortalis tantam ne vnius hominis diuinam, tq. incredibilis virtus lucem Reip. afferre potuit?* & dubitatio, vt in Cluentiana, *g, quod ad me attinet, quo me vertam, nescio*, & si qua alia oratio affectum exprimat, vt optationis: vt in Maniliana, *utinam virorum fortium tantam copiam haberetis* &c. aut execrationis, vt lib. v. decimo ep. vigesima prima

ad familiares. *dy male faxint isti Segulio &c.* aut si quē aliū affectū huiusmodi significet. methodus primo fit, cū scētētia cuiusuis affectū sint, proponūtur, quin illud antea moneamus, quod facimus, vt in superioribus exemplis, ita fit scētētia verior, & plena magis affectuū. nā si praemoneas, vt si dicaste admirari antequam re ipsa admireris, simplex magis quam vera, & ex animo videbitur admiratio. idē est existimandum de iureiurando, de conuitijs, de omni genere affectus, quem oratione exprimere velis. deinde, si oppositionibus asserantur solutiones sine propositione, aut sine contraria propositione: vt in exemplo methodi velocitatis, aut cum subito videmur dicere, vt pro domo sua: *intelligo, Pontifices, me plura extra causam dixisse, quam aut opinio tua erit, aut voluntas mea: sed cum me purgatum vobis esse cuperem, tum etiā vestra in me audiendo benignitas prouexit meā orationem.* est & illa methodus verae orationis, nō omnis quidem, sed eius qua affectus irarum, aut alius vehemens affectus declaratur, vt consecutionem figurarum orationis praecirra non seruemus: quasi vere perculsi irasimus, neq. motum animi in nostra potestate teneamus. huius methodi exemplum apud Ciceronen haud credo reperiri, apud poetas fortasse inuenietur: quale illud videtur

detur Simonis apud Terentium, liberi inuenti cum vnus esset, illud tamen Plautinum elegātius ex Truculēto Stratophanis militis qui iratus vehementer Getae seruo sic loquitur vt balbus videatur. *emoriere ocuis, si manū nigeris, pro nisi manseris.* figurae apostropeffis, cum incisum aliquod reticetur: vt in Ligariana, *sed in hac tanta fortuna, nisi tanta lenitas fuisset, quam per te, per te, inquam, obtines, intelligo, quid loquar:* vbi deest, non deessent, qui te ad crudelitatem excitarēt approbatio ad amplificandum, vt primo de officijs, *regalis sane sententia, & digna Aeacidarum genere:* sed si approbatio fiat cum dubitatione, minus veram reddit orationem, vt in eodem exemplo si dicas, *regalis, vt videtur, sententia,* quamuis moratam reddit orationē. correctio cum amplificatione, vt prima epist. ad Lentulam, *ego omni officio, ac potius pietate &c.* partitio soluta, idest, cum altera pars non redditur: vt prima in Catilinam, *o fortunatam Rempublicam, si quidem hanc sentinam eijciat,* aut si dicas, *ego quidem arbitror,* neq. aliud quicquam referas ad illud, *quidem,* aut si dicas hoc modo, *nemo quidem contradicet.* hoc genus figurae in re certa, & demonstrata, aut quae eiusmodi videatur, adhibetur apposite. reliquae figurae, immo ceterae partes huius

ius ideae, si sit exprimendus affectus vehemens & asper, ut in idea asperitatis, & vehementiae adhibendae sunt: sin autem lenis, ut in simplici, aut dulci, aut pura oratione. ac de veritate quidem haec sufficient: reliquum est, ut de obiurgatione disputemus.

De obiurgatione.



Biurgationis sententiae sunt, quib. reprehendimus ingratos non directo, ut in asperitate, & vehementia, sed cum ironia: ut cum apud Liuium lib. primo pater illius Horatij, qui solus relictus fuerat ex pugna Curiacorum conqueritur de populo Romano, quod illum condemnasset his verbis. *I, lictor, colliga manus, quae imperium populo Rom. antea pepererunt, obnubito caput liberatori huius urbis, arbori infelici suspendito. aut cum conquerimur bene meritos poena, male meritos praemio affici: ut in exordio Sextianae, intueri potestis eos, qui cum senatu, cum bonis omnib. Remp. afflictam excitauerint, & domestico latrocinio liberarint, moestos &c. Methodus fit per ironiam: ut decimater tia Philippica, at filium scurrae appellat: quasi vero ignotus nobis fuerit eques splendidus, pater huius Trebonij, aut cum res certae cum dubi-*

tatio--

tationis nota dicuntur, ut si quem beneficia multa in Remp. contulisse certum est, dicat *an parum vobis videor Rempub. ornasse*. aut cum expositio suae sententiae fit cum dubitatione: ut in Ligariana, *sed, quoniam diligentia in inimi inuestigatum est, quod latuit, confitendum est, ut opinor.* sed hae posteriores methodi, & si quae aliae adduntur ab Hermogene, omnes videtur ironiae, aut certe ironicae. illud autem obseruandum est, si quis utatur ironia contra aduersarios, non tam videri obiurgationis plenam orationem, quamuis morata sit, nisi ironia adhibeatur in controuersia aliqua figurata. tunc enim plena erit obiurgationis verae, quamuis sit contra aduersarios. dictio, figurae, et ceterae partes adhibendae in hac idea, ut in reliquis moratis. haec idea sola ex moratis per se ipsam vix constat, sed indiget aliqua ceterarum, ut modestia, aut simplicitate, aut alia morata. hinc reliquarum sententiae addita ironia, fiunt obiurgatoriae.

De grauitate.



Atenus de ideis moratae orationis disputatum, restat, ut grauitatem, quae sola ex ideis reliqua erat, persequamur. huius ideae

nomen Graecum ambiguum est: nam aut significat facultatē, qua quiuis recte vti possit tota arte, quam verius Latine prudentiā nominabimus, aut acutam quandam orationem. de grauitate illa prioris significatio- nis differemus in extrema parte huius artis: de altera, quae acumen orationis proficitur tanquam de genere certo idea hoc loco disputandum. Grauitas igitur, quam acumen melius liceret appellare, aut est, & videtur, aut est, & non videtur, aut videtur, & non est. grauitas quae est, & videtur sit, quauis fere idea magnitudinis, quod ad sententias, & methodum pertinet: adhibendae etiam sunt sententiae admirabiles, violentae, subtiles, & acutae praeter vulgi opinionem, & exquisitae, & methodus congruens. Dictio vt in asperitate, vehementia, aut dignitate, & omnino, vt in quauis idea magnitudinis cetera vt in quauis idea magnitudinis praeter asperitatē, aut vehemētiā. frequētes autē periodi in hac esse debent, ac praesertim illae, quas cōuolutas in circuitione appellauim⁹. huius grauitatis exēpla erūt omnes deliberationes, & causae publicae Ciceronis, & Demosthenis, sed Demosthenis magis. proferamus autē aliquod exēplū breue, sed illustre huius idae. sit illud in Plāciana. *quāquā dissimilis est pecuniae debitor, & gratiae. nam,*
qui

*qui pecuniam dissoluit, statim non habet id, quod reddidit: qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem, & qui refert, habet, & qui habet, in eo ipso, quod habet, refert. vides quantum veri acuminis in hac dissimilitudine, quamq. tale videtur contentione illa contrariorū habendi, & referendi. docet aliquid huius artificij Aristoteles, cum disputat de oratione urbana. grauitas quae est, & non videtur habet omnia acuta, sed ornata ideis moratis, ac praesertim simplicitatis, admitta tamen dignitate, aut idea aliqua magnitudinis, ne dum simplex omnino videri vult, aliquid dignitatis amittat. talis fere M. Tullius in causis priuatis, vt in illa Caecinae, sed Lysias magis in omnib. fere, omnium autem maxime Demosthenes. sed age proponamus locum aliquem illustrem huius idae. sit igitur ille in Cluentiana: cum Ciceroni non suppeterent argumenta, sed leges tantum sic inquit, *est enim quiddam in hac causa, quod Cluentius ad se, aliquid quod ego ad me putem pertinere. hic putat sua interesse, se re ipsa, & gesto negotio, non lege defendi. ego nunc mea existimo interesse, me nulla in disputatione ab Actio videri superatum, esse. quantum in hoc exemplo acumen, sed quam simplici oratione enunciatum: vt vere pronunciauerit Hermogenes o-*
*mniem**

Libr. 3.
Rhet.

omnem hanc grauitatem, quae est, & non videtur in methodo positam esse. nam methodus nihil aliud est quam figura, qua sententia effertur. ita si sententiae vnius ideae efferrantur dictione, figuris, & partibus alterius, & praesertim contrariae, vt aliae videantur sententiae, quam re ipsa sint, id omnino ad methodum referendum est. grauitas, quae videtur, & non est, habet sententias inanes, & quae videntur acutae, neque sunt, dictione vt in auctoritate, asperitate, & vehementia, cetera vt dignitas, aut vigor: sed potissimum vt venustas. amplificat res, antequam probet, inculcat multas fabulas, multa poemata, multas descriptiones, magnitudinem adhibet, vbi opus non est, quae non conuenit veris oratoribus, sed potius sophistis: quales multi ab aetate vsque Socratis extiterunt. atque haec de generibus idearum.

De usu idearum.

Expositis generibus idearum, de earum usu disputandum est, hinc sumpto initio. omnis oratio aut est forensis, & civilis, aut panegyrica, & quietas, aut mista ex utroque genere. forensis est ea, cui quaestio civilis est proposita:

sita: quales sunt merae deliberationes, & mera iudicia, vt oratio pro Caccina. Panegyrica est ea, cui quaestio forensis non est proposita: quales sunt laudationes, vituperationes, historiae, poemata, & libri philosophici. M. Tullij. mista, quae ex utroque genere constat: vt secunda Philippica, in qua primum M. Tullius criminibus M. Antonij respondet, quod est totum forense, deinde eius vitam vituperat, quod est panegyricum. oratio forensis simpliciter temperatur ex quinque ideis, ex perspicuitate, & simplicitate, modestia, veritate, & velocitate. at ea, quae perfectissima est forensium, aspergit tota oratione circuitiorem non minus quam perspicuitatem, & orationem moratam, secundo loco asperitatem, & vehementiam, atque velocitatem, tertio reliquas ideas magnitudinis. nam auctoritatem, & splendorem minuit saepe orator forensis, vt Demosthenes adhibita interpositione. adhibet praeterea venustatem, sed tectam, & in his praesertim locis, in quibus est acumen, ac multitudo subtilium sententiarum, ex grauitate, eam quae est, & non videtur, eius vero, quae est, & videtur, parum, posterioris vero nihil fere, nisi quis splendorem, & vigorem orationis huc referat. deliberationes perfectissimae vtuntur iisdem ideis, quibus orationes forenses perfectae, sed adhi-

adhibent praeterea omnes ideas magnitudinis, & ex ideis moratis obiurgationem mediocriter: quanquam fieri potest, vt pro ratione circumstantiarum plures ideae moratae orationis in illam cadant, vt in ea pro Megalopolitis Demosthenis multa sunt morata, quanuis repugnant naturae deliberationis. adhibent etiam eam grauitatem, quae est, & videtur: huiusmodi sunt Philippicae M. Tullij omnes fere praeter secundam. iudicia, si publica sint, vt oratio pro Rabirio per duellionis reo, iisdem ideis, quib. deliberationes absoluntur. quod si priuata fuerint, vt oratio pro Caecina, ex ideis magnitudinis adhibendae sunt ex circuitione, sententiae quidem liberius, cetera parce, ex reliquis vero magnitudinis ideis tantum aliquando sententiae, dictio, & figurae vehementiae, ex moratis simplicitatis, & modestiae multum, obiurgationis minimum, ex grauitate, ea quae est, & non videtur. oratio panegyrica simpliciter fit, si abundet vna harum idearum, puritate, vt oratio Caesaris, idea aliqua magnitudinis, praeterquam asperitate, & vehementia, vt Thucydides dignitate insignis, aut venustate, vt Isocrates, aut simplicitate, vt Xenophon, aut dulcedine, vt Stesichorus. Panegyrica oratio

per

perfecta, si oratio soluta sit, in qua Plato alios scriptores longe superauit, perficitur ex iisdem ideis, ex quib. perficiebatur panegyrica simpliciter, sed ita, vt quam minimum sit velocitatis. quae maxime repugnat panegyricae orationi, & quam minimum etiam eius grauitatis, quae est, & videtur. in hoc genere orationis mirabiliter excellunt dulcedo, & venustas. panegyricae subiunguntur dialogi, quib. omne genus idearum accommodatur, pro personarum varietate, ita vt grauitas etiam illa, quae videtur, & non est, dialogis aliquando congruat: vt cum inducuntur sophistae loquentes, vt apud Platonem plerunque: quin & abiecta, & demissa oratio in dialogo adhibenda, si persona, quae inducitur, id postulare videatur: quia omne genus imitationis recipit dialogus. in historijs separatim inseruntur descriptiones, & conciones, atq. funebres laudationes. descriptiones sunt potissimum pura, atq. simplici, & dulci oratione, conciones vero, vt deliberationes: quamuis accuratius exponendae, quae rectae sunt, cum persona ipsa scilicet inducitur suis verbis concionem habens, quam illae, quae speciem tantum referunt concionum, in quibus non verba imperatoris, aut alterius

indu-

inducuntur, sed recitatur tātum breui, quae illum dicerent dixisse. in poesi hae ideae in commune potissimum elucere debent, magnitudo, venustas, dulcedo, & grauitas. quāuis magnitudo comoediae nouae non videtur conuenire, sed quia assurgit altius, quā oratio soluta, habet quoq. magnitudinem suo generi congruentem. reliquae obseruationes, quod ad poesim pertinet, in poeticam certe, aut in metricam, aut in hypocriticam, quibus illa vitur, reijciendae sunt vt methodus inuocandi ad hypocriticam, & collocatio metrica ad metricam. de poetica autem nemo disseruit accuratius quam

In poet. Aristoteles. oratio mista, fere fit vt deliberatio, sed oportet vt in ea excellant dignitas, atq. orationis splendor, vt apparet in Maniliana, & Liciniana. hoc loco Hermogenes adhibet iudicium suum, & sententiā grauisime pronunciat de charactere, & stylo clarissimorum virorum, qui apud Graecos, aut dicendi facultate, aut in historia, aut in poesi, aut in alio genere scribēdi excelluerant, fecerāt idē iudiciū antea, idq. grauisimum ex Latinis M. Tullius in Bruto, ex Graecis Halicarnasseus in libro de characteribus, ex quo multa Quintilianus in locum eiu'dem argumenti transtulit, addidit tamen multa summo cum iudicio de Latinis

Latinis scriptoribus: quae quia suppetunt, non video, cur nostrum, aut alterius iudicium desiderari possit, aut debeat. illud vnum videtur soli ex his scriptorib. fere Hermogeni venisse in mentem, vt iudicium suum idearum, & characterum praeeptionib. minutatim accommodaret. sed haec haec tenus: nunc de vsu idearum in partib. orationis aliquid disseramus, licet Hermogenes de eo separatim nō disputauerit. neq. vero expectandum hoc loco, vt omnia sigillatim persequamur. satisfiet quidem cumulate ei, qui praeeptiones idearum probe nouerit, si capita solum huius disputationis indicemus.

De vsu idearum in partib. orationis.



Nexordijs igitur duae potissimum elucet ideae, circuitio, & modestia. in narationibus tres, perspicuitas, veritas & velocitas secundum figuras, & praesertim secundum subcontinuationem, & interpositionem. in confirmatione velocitas plurimum potest. in epilogis item. sed si affectus graues con-

citandi sint, vt ira, & odiū, adhibēdae sunt asperitas, atq. ei finitimae: sin autem lenis, ideae moratae praeter obiurgationem. his ita positis exponendum est, quae ideae inter se finitimae sint, & quae quib. contrariae: vt cum aliqua vtendum fuerit, neq. possit vlla per se constare, finitimas potius quam alias adiungamus, & ne nimio vsu alicuius in vitium aliquod incurramus. puritati itaq. finitimae sunt simplicitas, modestia, & veritas secundum affectum lenem. circuitio dignitas, splendor, vigor, grauitas quae est & videtur, asperitate vehemētia, vigor, velocitas, & obiurgatio. venustati splendor, dulcedo, grauitas quae videtur, & nō est, & arguta oratio. distinctae orationi cōtraria est circuitio. dignitati simplicitas, asperitati vehemētia, & vigori repugnāt simplicitas modestia, dulcedo, & venustas, venustati velocitas, ea maxime, quae fit per interrogationes & respōsiones breues. abiectae orationi venustas, & apte cōposita oratio, velocitati, remissa, & supina. cōtrariae autē ideae cōtrarijs tēperādae sūt, ne si aliquā nimiū affectem^o in vitium aliquod turpe incurramus. distincta oratio valet plurimum, ne circuitio nostra oratio obscuretur. circuitio, & velocitas efficiunt, ne nostra oratio mollis sit, & vt Graeci loquuntur, supina. splendor ad-

ditus

ditus dignitati, aut asperitati, aut vehemētia, facit, ne oratio nimis acerba sit, ne ue plus iusto efferatur, venustas ne rustica, & agrestis videatur. quod si multa sit in oratione venustas, detrahit illi fidem, & auctoritatem. moratae faciunt verisimilem orationem, atque euidentem. grauitas ne ab ingenio tardo, atq. hebeti prof-

cta videatur. atque

haec dei-

deis.

(?)

PET. IOHAN.
NUNNESII VALEN-
TINI INSTITVTIO-
num Rhetoricarum
Lib. V.

De methodo prudentiae.



Absoluta disputatione de ideis explicanda est extrema pars huius artis, quam Hermogenes de methodo grauitatis inscripsit: quod ut placet Anonymo eius interpreti ex trib. formis grauitatis, quas docuerat, eam hoc loco maxime persequatur, quae est, & non videtur, cuius tota fere vis in methodo cernebatur: de qua parte sola nihil in ideis differuerat. huius grauitatis propriū est, ut ait Aristides, quae nostrae causae conueniant, procul prospicere, quae profutura nobis sunt arripere, & praemunire, quae nocere possunt, ea sensim auertere, & funditus conuellere. hoc certe munus totum prudentiae est. propter quam causam nos ita hanc partem de methodo prudentiae inscribi voluimus, ut res planius

nus intelligeretur: praesertim cum aut forma quaedam prudentiae sit, ut voluit interpretes anonymus, aut certe prudentia quaedam naturalis, ut placuit Aristoteli. nullus autem ex priscais rhetoribus, ut ait Dionysius Halicarnassensis, ausus est hanc partem suscipere explicandam, quod sub artem eā cadere posse negarent, praeter vnum Gorgiam Leontinum: qui tamen nihil fere, ut idem inquit, magnopere dignum scriptio- ne reliquerat. Aristoteles sane videtur aliquid huius methodi explicasse, cum quartā illam partem elocutionis docet, in qua eius auditor Theophrastus illud positum esse dixit, ut intelligeremus, quae oratio oratori esset accommodata pro circumstantiarum varietate. hanc etiā partem attigit M. Tullius sed strictim. Hermogenes vero, cum perspiceret ei, qui probe totam artem cognouisset, notaretque accurate vim singularum circumstantiarum, & pondus, facilem hanc rationem, & expeditam futuram, maluit priuatim, quae ad hunc usum pertinerent, sine serie disputationis obseruare, quam in commune, & ordine digesta praecepta huius partis tradere. & quoniam properans hanc artem scripserat, aut certe dictauerat, ut idem multis in locis significat, aliqua quae in hac arte explicanda praetermiserat, in hunc lo-

cum contulit, vt idem declarat in extrema disputatione de ideis, quod hic locus maxime huic instituto accommodatus videretur cum & vltimus huius artis esset, & omnia libere, sine vlla certe serie in eo traderentur. ita Aristoteles, cum in tripartita illa ratione quam primo lib. de syllogismo tradiderat, multa, quae ad eam partem spectare videbantur, omisisset, in secundum librum ea retulit, quae sententia est Alexandri, vt non magno opere ei de serie disputationum in illo laborandum fuerit. quapropter, vt ad Hermogenem redeam, nos hanc partem artis eodem ordine, quo ille tradidit, persequemur tantum obseruabimus, quod caput ad methodum prudentiae proprie pertineat, quod ad explenda ea, quae in arte deerant, referendum sit. haec ratio consilij, quam hoc loco secutus est Hermogenes, cum a paucis intelligeretur, alijs fortasse non probaretur, non satisfacit Hermogenes omnib. in hac parte, vt Theodoro Logothetae, Iohan. Tzetzae & alijs, quorum ego calumnijs hoc loco respondere conarer, nisi satis ijs factum fuisse superiore disputatione existimarem: accedit etiam huc, quod in hac arte tradenda multa huius artificij, & prudentiae ab Hermogene aspersa sunt, quod aliter ars, quae tota plena consilij, & prudentiae est, doceri

com-

commode non potuisset. ne igitur maleuoli isti, ab Hermogene requirant, quando vno quando plurib. pro oemijs vtendum, quando narratio adhibenda, quando omittenda, & alia huiusmodi. nam ista omnia aut in arte exposita sunt, aut, cum praeceptiones artis bene cognitae ad circumstantias accommodantur, facile intelliguntur: praesertim, si quis attente adhibeat eam rationem, quam nos in exordij inuentione monstrauius. ex qua disputatione, quae maxime propria est huius loci, & temporis, animaduertet quiuis aliter dicturum fuisse M. Tullium, quod ipse de se fatetur, apud Quirites pro rege Deiotaro, quam dixerat intra parietes domesticos Iulij Caesaris, aliud etiam genus dicendi ab illo expectandum fuisse, cum infirma adhuc aetate pro Sex. Roscio diceret, aliud cum pro alijs corroborata iam aetate, & dicendi facultate orationem haberet, aliter praeterea ornandum fuisse ab eo Pompeium apud Quirites, aliter maiestatem populi Roma. pro C. Rabirio defendendam, aliter cohonestandum Archiam, cuius causa cum tenuis, & inops esset, dicendum tamen in ea erat pro summo poeta, homine crudelitissimo, apud viros litteratissimos, vt condonandum fuerit M. Tullio, quod a consuetudine forensi tantisper ad musas mansuetiores in ea di-

Aa 4

uer-

tio de vsu vocabulorum. Peccatur in vsu vocabulorum aut improprietate, vt *vniversitas* pro *gymnasio*, aut cum verbum Latinū deprauatur, vt *in praesentiarum*, pro *in praesentia*. pertinet quoque, quae sequitur obseruatio, ad vsu vocabulorum. Iterandū est saepe idem verbum, aut genus dicendi, cum nullum aliud ita proprium potest inueniri, vt in *Corneliana* frequentissime legimus *fundum fieri populum*: at cum multa suppetunt, quae idem fere valeant, adhibenda sunt libenter ab oratore: vt in eadē *ascribere*, aut *ascribere ciuem*, *adipisci*, aut *consequi ciuitatem*, *dare*, aut *largiri alicui ciuitatē*, *donare*, aut *recipere aliquem ciuitate*. hoc maxime decet prudentiam oratoris nosse, quando eodem, quando diuersis generib. dicendi vt possit. quod etiam sequitur, plenum est prudentiae oratoriae. Oratio abundans fit dupliciter, aut in verbis, aut in sententijs, in verbis item duob. modis, commoratione, & copia verborum. commoratio fit, cum sententia aliqua breuis dilatatur circumstantijs, aut alia quauis ratione, vt in *animis auditorum firmitus haereat*: vt in *initio eius pro Flacco*. cum in maximis periculis huius urbis, atque imperij, grauissimo, atque acerbissimo Reipub. casu, socio, atque adiutore consiliorum, periculisque meorum L. Flacco.

Flacco, caedem a vobis, coniugibus, liberis vestris, vastitatē a templis, delubris, vrbe, Italia depellebam, sperabā, indices, honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quā miseriarū deprecatorem. quasi breui dicere voluerit, cum adiutore Flacco remp. defendebam, sperabam honores illi a vobis tribuendos. vt imur autem commoratione in his locis, quib. maxime me confidimus, & in quib. habemus multū praesidij, vt *Hermogenes* docuit in disputatione de splendore, & de circuitione. copia verborum fit, cum in eadem periocha adhibentur multa verba, aut genera dicēdi, quae idem valeant: quod fit ad commouendos animos auditorum: vt in *Ligariana*, *quid ille tuus districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? manus? oculi? ardor animi? quid optabas? quid cupiebas?* neutra harum rationum adhibenda est ab oratore, nisi cum vehemēter confidit ei sententiae, quam persequitur. in sententijs fit abundans oratio, cum rationes communes adiunguntur proprijs: quod fieri debet, si id quod probandum est, sit incredibile, vt in oratione funebri *Periclis*, quae legitur in libro secundo historiarum *Thucydidis*, probat *Pericles* in exordio, quod incredibile videtur, iniquum esse illud institutum

institutum Solonis, vt qui pro patria mortui erant, publice laudarentur, hac ratione propria, quia facta non verbis, sed factis comprobanda sunt: cui adiungit hanc communem, ne virtutes clarissimorum virorum in discrimen veniant pro facultate oratoris, incertaque reddatur de illis existimatio, aut fit per epenthemes, quae fiunt, cum rationes communes dilatantur ad molliendam audaciam sententiae incredibilis: vt eodem loco, nam qui illorum virtutes probe nouerint, & propensa sunt in eos voluntate, semper arbitrantur aliquid minus sua opinione ab oratoribus, afferri. contra qui eorum gloriae inuidet, semper aliquid ab oratore affingi existimant. hoc item ad prudentiam oratoris maxime spectat. Si qua oratio, aut sententia duriuscula videatur, mollienda est dupliciter, aut breui quadam accessione, aut confessione audaciae, & duri sermonis. breuis accessio fit his verbis, quasi veluti, fere, videtur, & alijs quae idem valeant. vt, primo de natura deorum, natura est quasi lena sui. confessio, vt secundo de natura deorum, utrunque omnino durum beatitudo scilicet, & beatitas, sed verba usu mollienda sunt, & nona Philippica, graue dictum est, sed dicendum tamen. neque vero minus duo, quae deinceps sequuntur capita, ad prudentiam spectant. Aposiopesis adhibetur in oratione, vt maiorem

rem suspicionem in animis auditorum relinquamus: vt pro Ligario, quod si in hac tanta tua fortuna, tanta lenitas non fuisset, quam per te per te, inquam, obtines, intelligo, quid loquar. dicimus autem nos velle praeterire aliquid, quod tamen commemoramus, propter tres causas: aut quia notum illud est, vt prima in Catilinam, iam illa omitto: neque enim sunt obscura &c. aut, quia odiosum est: vt in Maniliana, finite hoc loco Quirites, sicut poetae solent, praeterire nostram calamitatem: quam non ex proelio nunciis, sed ex sermone rumor afferret, aut quia res parua est: vt, mitto haec, quae leuia sunt, neque magni momenti. Circuitio, quae vulgo periphrasis dicitur, si fiat propter ignorantiam verborum reprehendenda est, vt ait Aristoteles: talis est illa eius, qui dixit herbas Hibericas pro sparto. alioqui vsui esse solet ad tegendam obscaenitatem, vt secundo de natura deorum, reliquiae cibi depelluntur, cum astringentibus intestinis, tum relaxantibus, aut ad tegendam orationem, quae auditoribus inolesta sit futura, vt in Maniliana, noster exercitus, cum urbem ex Tigranis regno cepisset, proeliumque secundis usus esset, longinquitate locorum, & desiderio suorum vehementer commonebatur, aut cum celamus nostram arrogantiam, vt Phil. 2. non video, quid in hac mea mediocritate ingenij despicere possit Antonius, aut ad amplificandum,

8.

Lib. 3.
Rhet.

candum, vt princeps eloquentiae Romanae pro M. Tullio, qui vsus etsi non affertur ab Hermogene, mirum videri non debet. nam satis esse factum suo instituto putauit, si monuisset ad prudentiam quoque oratoris pertinere singularum figurarum vsum cognitum tenere, quod praestant tres observationes, quae deinceps sequuntur. Iteratio eiusdem verbi aut sit docendi causa, vt in Maniliana: *quae ciuitas unquam fuit, non dico Atheniensem*, & quae sequuntur, aut ad laudandum, vt in eadem de reb. gestis Pompeij, *testis est Italia*, &c. aut ad vituperandum, vt tertia Verrina, *en cui tu liberos committas*, & quae sequuntur aut ad commouendos affectus, vt prima actione in Catilinam *viuit, & viuit non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam*. Interrogatio maximo vsui est in reb. certis, atque exploratis: vt in Maniliana, *cui praesidio per hosce annos classibus vestris fuistis?* aut vsui est cum res antea demonstratae concluduntur: vt in eadem, *quare, cum hoc bellum sit ita necessarium, vt negligi non possit*, & quae sequuntur. Omnis autem interrogatio aut conuertitur fere ad auditores, vt ea quae nuper proposita est, quae valet plurimum ad reprehendum, aut ad aduersarios, quae adhibetur ad infirmandam eorum sententiam, vt in Liguriana, *quid ille tuus Tubero &c.* aut ad seipsum

ipsum conuertitur, vt in Maniliana, *sed quid ego longinqua commemoro?* quae interrogatio multum affert praesidij ad auditorum animos ad se conuertendos, & ad rem firmiter persuadendam. A syndeton, & coniunctio duae figurae sunt vtilissimae ad copiam, & amplificationem. sed a syndeton plus valet ad affectus augendos: vt secunda actione in Catilinam *abijt, excessit, euasit, erupit*: coniunctio vero potius adhibetur ad copiam rerum significandam, vt duodecima epistola lib. 4 *officia, quae fieri potuerunt, & pro collegio, & propinquitate, & viuo, & mortuo praestitimus*. ita Aristoteles scribit a syndeto fieri, vt quae pauca sunt, multa videantur. Caput, quod sequitur apud Hermogenem, tantum videtur continere nomina propositionis per capita, atque enumerationis eius, quae fit in epiloquo, in quo nihil est praesidij ad methodum prudentiae. de propositione autem per capita qua prudentia sit adhibenda in oratione, differuerat Hermogenes in inuentione, de enumeratione vero nihil, aut parum admodum praecepit. addi igitur hoc loco posse videtur haec observatio ex Apstine, qui multa adiunxit arti Hermogenis: enumeratio aut fit in extrema oratione, aut in media, atque aut est capitum tantum, vt illa in

Libro. 3.
Rhet.
12.

Ma-

in Maniliana, *satis mihi multa verba fecisse vi-
deor, quare sit hoc bellum ipso genere necessariū,
&c.* aut est argumentorum tantum, quib. v-
nū caput confirmatum est, vt in eadem, *qua-
re videte, num dubitandum vobis sit omni stu-
dio in id bellum incumbere &c.* aut fit enume-
ratio capitum, & argumentorum vnius ca-
pitis, vt in eadem, *quare, cum & bellum ita ne-
cessarium sit, ut negligi non possit, ita magnum,
ut accuratissime sit administrandum & quae se-
quuntur.* nam omnia fere haec exempla aut
vulgo nota sunt, aut in superiori disputa-
tione ad verbum proposita. hoc loco expli-
candum breui, quod supra promissimus ex
Apsine, quib. figuris possint enumeratio ca-
pitum, quae fit in epilogis, varie proponi.
potest igitur fieri per ethopoeiam, si induca-
tur aliqua res, aut persona, quae capita illa
commemoret, aut per descriptionem, vt de-
scribatur statua, aut mōumentum aliquod,
in quo propter merita singulorum capitū
aliquid notetur, aut iterum per ethopoeiā
si fingamus nos audire decretum, legem, aut
sententiam latam a iudicib. propter illa ca-
pita, aut si percontemur iudices, *quid vos
hunc reum admittetis, qui haec commisit? sed
iam cui vsui sint, aut quomodo tractandae
aliae figurae, quod est prudentiae, doceam-
us.* Aequales figurae, id est homoeoptotō

homoeoteuton, & parechesis, aut adhibē-
tur ad vsum forensem, vt in exordio Mani-
lianae; *& quid de me iudicaretis &c.* aut ad so-
lam ostentationem, vt in orationib. Isocra-
tis, aut ad lusum declamatorio more, quod
aliquando fit etiam ab oratoribus, vt tertia
Philippica: *en cur magister eius ex oratore, ara-
tor factus sit.* Hyperbaton autem cum laude ¹⁴
fit, quoties interponitur ratio sententiae: vt
pro Archia, *primum Antiochiae (nam ibi na-
tus loco nobili, & urbe quondam celebri, & co-
piosa, eruditissimis hominibus, atq. studijs libera-
lissimis affluentibus) ceteris ingenio antecellere con-
tigit,* aut ratio duplicatur, cū redditur ratio
rationis: vt in eadem, *quoties ego vidi Archiā
iudices (utar enim vestra benignitate, qui a me
diligenter attenditis) quoties ego vidi Archiam*
& quae sequuntur. hoc hyperbaton adhi-
bendum est ab oratore, ne diutius teneatur
suspensus animus auditoris, vt facile perci-
piat, quod dicatur. itaq. hyperbaton non
semper obscurat orationē, neq. semper or-
dinem verborum perturbat. Antitheton ¹⁵
vero fit, cut discrepantia inter se opponun-
tur: hoc aut verum est, quod nihil in eo fin-
gatur, vt quarta Philippica, *si consul Anto-
nius, hostis Brutus, &c.* aut altera pars fingi-
tur ab oratore contumeliae causa, quod
antitheton malitiosum vocatur, vt Demo-
sthenes

24. & vsum artis prudēter distinguit, vidit primum Halicarnalleus. Idem argumentum, quod alius antea occuparit, aut nos ipsi alibi pertractauimus, possumus persequi, ita vt aliud videatur, si inuertamus ordinem capitū, aut aliqua addamus, aut detrahamus. Ordo capitum vix potest immutari in genere deliberatiuo, quia id quod vrget, primū semper in eo genere esse debet, siue primo, siue secūdo, aut alio loco quis sententiā dicat, additione tamē, & detractiōe variari potest idem argumentum, vt fecit Demosthenes in Olynthiacis, & in ea de militib. in Chertoneio. M. tamen Tullius cum tertia Philippica, & quarta ad extremum idem suadeat, vt bellum contra M. Antonium inferatur, ordinem capitum videtur immutasse, nam in tertia primū proponit, quod petitur a glorioso, deinde quod ab utili, postremo quod ab eo, quod fieri potest: at in quarta vtile praecedit, sequitur facile, in extremo gloriosum collocatur. neq. mirum: nam istud ipsum est prudētiaē maximae habere rationem eorum, apud quos dicas. senatus siquidem dignitate, & gloria magis excitatur, plebs vero vtilitate. in panegyricis orationibus, quales sunt laudationes, ordo capitum est fere immutabilis, quem scilicet natura rerū praescribit. Ita omnes
fere

fere prisca oratores Graeci praesertim, cum ordinem in laudando sequuntur, qui in progymnasmatibus expositus est. quanquam potest illa varietas adhiberi in eo genere, quā ex Cicerone initio libri secundi monstrauimus. potest etiā in eo fieri imitatio additione, & detractiōe. ita Plato imitatus est orationē funebrem Thucydidis. nam cum Thucydides de rep. multum, de hostib. autem parū in ea dixisset, contra Plato multa de hostibus, parum autem, aut nihil de re-pub. differuit at in genere iudiciali vtrunq. fieri potest. nam, cum Phormio orator in lege accusanda primū vsus esset aequo, deinde utili, postremo glorioso, Demosthenes in oratione de immunitate, cum eiusdem argumenti esset, eū ordinem immutauit. M. autē Tullius cū Hortensius prius pro Sextio dixisset, addidit totū illū locū de vita, & moribus Sextij. in his praeter additionē, & detractiōē addenda videtur immutatio, cū vnū pro altero ponitur, quod in imitatione est frequētissimū: nisi dicas id partim additione, partim detractiōe, quod verisimile est, fieri. haec igitur facultas imitandi nostrā, aut alterius orationē, quae nō sēper eodē modo cōceditur, ad prudētiaē referenda est: vt illa, quae sequitur, quādo possithone
ste seip sū laudare orator. Potest igitur sei-

honeste laudare tripliciter: aut generali oratione, vt Isocrates explicaturus se coniuētissimum esse amicum Demonici, docet quid intersit inter fidos, & infideles amicos, aut professione necessitatis, vt secunda agraria, cū in exordio inquit M. Tullius, *silere de tantis vestris beneficijs nullo modo possū,* aut per apostropham, vt in Pisonem laudat seipsum M. Tullius apostropha facta ad eūdem Pisonem. ex his modis primum, & secundum sumpsit Hermogenes ex Aristide Quinctiliano: apud quem alij etiam modi leguntur, quib. hoc fieri possit ab oratore. qualis ille, vt quaedam laudes suas commemoraret, alias omittat. huc videtur pertinere locus ille ex secunda agraria, *quare adhibebitur a me certa ratio, moderatioq. dicendi, vt, quid a vobis acceperim, commemorarem, quare dignus vestro summo honore, singulariq. iudicio sim, ipse modice dicam.* alium modum addit Aristides, vt veniam scilicet petat orator earum rerum, quas de seipso praedicaturus est: vt in Sextiana, *ac, si in exponendis vulnerib. illis de me ipso plura dicere videbor, ignoscite.* alius ille modus est, si dicas ad eos pertinere, qui audiunt, tuas laudes commemorare, vt in eade Harulp. respon. cum confert domum sibi restitutam cū domo data P. Valerio his verbis. *quae quidem ego, si aut per me, aut ab*

Lib. de
ciuit.
orat.

alijs haberem, non praedicarem apud vos, ne nimis gloriari viderer. Sed, cum sint mihi data a vobis, cum ea attententur eius lingua cuius antea manu eversa, vos mihi, & liberis meis manib. vestris reddidistis, non ego de meis, sed de vestris factis loquor. ille item graue esse ab aduersarijs id fieri propter suam vtilitatem, tibi vero idem non concedi. quae causa aptissima erat in ea in Pisonē, vt M. Tullius suas laudes commemoraret. miror autem illum modum ab his praeteritū, qui legitur apud Aristotelē, vt alteri sermonē tribuamus, & per ethopoeiā nostras res praedicemus: quod fiet cū minori inuidia: vt in ea pro domo sua, *erant, qui deos immortales (quod ego sentio) numine suo redditum meum dicerent comprobasse.* quod sequitur ex inuito artificio prudentiae deproptū est. Duplex artificium adhibendū est in oratione inuentū a Demosthene: vnū vt, cū firmamentū suae causae longe abhorrere videatur a praecipua quaestione, illud in iudiciū adducat, ita vt illud necessario fecisse videatur: vt in Sextiana firmamentum eius orationis positū erat in rebus praecclare gestis a Cicerone, cū consul, esset, quod tamen longissime abesse videbatur a crimine de vi, cuius accusabatur Sextius, sed in eā disputationē se immittit M. Tullius, quia Sextius non sua, sed eius cul-

Libro. 3.
Rhet.

26.

pa reus erat. alterum artificium est, vt aduersarij firmamentum, quod labelactandum est, simpliciter, & candide, sed cum calliditate proferatur. multum est huius artificij in illo loco Cluentianae, quem in idea grauitatis eius, quae est, & non videtur produximus. hinc M. Tullius laudat plerumque aduersarios an tequam eorum sententiam infirmet: vt in Maniliana laudat Hortensium, & Catulum. Secunda orationi de eodem argumento locus apud oratores conceditur propter quattuor causas: aut propter magnitudinem causae, vt cum Aristides sex orationibus respondet contumelias, quibus Plato vexauerat oratores in Gorgia. sic M. Tullius fingit in accusatione quinq. Verrinas posteriores, aut cum secunda amplificat, quod prior confirmauerat, quales sunt orationes Demosthenis in Aristogitonem: aut cum posterior aliquid addit, aut detrahit superiori: vt in Sextiana fecisse M. Tullium supra docuimus, aut cum occupat alter orator, quae respondere potuisset aduersarius priori oratori: vt facit Demosthenes in Androtionem, contra quem prius dixerat Euctemo. ita pro Appio Claudio simul dixerunt Hortensius, & Brutus. quis autem ignorat quin prudentis oratoris sit, cum praeter principem in causa aliqua adhibeatur, nosse quid praestare

stare possit? Vt narratio firma videatur, & 28.
tuta referenda est ad alium auctorem narrationis. qua in re consulit orator suae dignitati: vt in Maniliana, *ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam praedicant, & quae sequuntur.* ita Virg. cum fabulosum aliquid dicit, solet inferre, *fama est,* vt obseruat Seruius. praeterea comprobanda est aliqua approbatione, vt si M. Tullius superiori narratiunculae de Medea addidisset, quod ita esse pro comperto habemus. quanta cum prudentia narabitur istis modis? pertinet item, quod deinceps sequitur, ad Oratoris dignitatem, ne communia sectari videatur. Sententiae igitur 29.
communes, & publicae ita adhibendae sunt ab oratore, vt confiteatur communes, & publicas esse: qua ratione fit, vt, cum communes sint, propriae tamen esse videantur, quod commendat prudentiam oratoris: vt initio secundae Agrariae, *est hoc in more posuimus, institutoque maiorum, vt qui imagines vestro beneficio consecuti sunt, primam illam concionem habeant, qua gratiam vestri beneficii, cum suorum laude coniungant.* Versus poetarum interponuntur aliquando ab oratore, aut integri, & 30.
sine nomine poetae, praesertim cum eius sententia apposite cohaeret cum superioro-

rioribus: ut epist. 10. lib. septimi ad Trebatium, *quare omnib. de rebus fac. ut quam. primum sciam: aut consolandi, aut consilio, aut re iuvero.* versus est integer ad verbum ex Heaurontimorum eno Terentij, aut per parodiā: quae fit cū verbum totū non ad verbū, sed imitatione expressum, aut aliquid tantū illius in nostrā orationē traducimus. quod quo parcius fit, eo fit cū maiori oratoris dignitate, ut obseruat Demetrius in Thucydide. tale illud Tullianū ex secunda oratione in Verrē de Metello, *te nō fato, ut ceteros ex vestra familia, sed sua opera consulem factū.* quod expressum est ex illo carmine Naeuij, *Fato sunt Metelli Romae consules.* superius genus interponendi versus per conglutinationem ab Hermogene nominatur. est in hac quidē obseruatione aliquid prudentiae, sed quae hanc excipiunt duae proximae hoc artificio prudentiae refertae sunt. Si qua perturbatio vehemens animos auditorum occuparit, non est illi plane resistendum, sed cedendū aliquantulū, & aliquid condonandū: ut epistola tertia lib. quarti ad Sulpiciū, cum illum inducat M. Tullius hac oratione vtentē, *dicos, quid me in tantis tenebris, & quasi parietinis reipub. ista consolantur?* ei ita respondet M. Tullius, ut eius perturbationi aliquid cōcedat his verbis, *est omnino vix consolabilis*

31.

consolabilis dolor: tanta est amissio omnium rerum, & desperatio recuperandi, & quae sequuntur. Crimen oratoris, aut rei, si sit certum, 32. & manifestum, nullum maius praesidiū potest afferri, quā vt illud confiteatur, ita apud Homerū Helena fatetur se principem, & segetem omnium malorū Graecis, & Troianis extitisse. Tragice loqui dicitur orator, 33. quod & prudentiam illius aliquando decet cū magnā aliquam calamitatē breui oratione concludit. quod ita fieri oportere docet Hermogenes testimonio Homeri, atq. hoc exemplo Demosthenis in oratione de falsa legatione, cum excidium Phocensū describit: *licebat ibi tum domos dirutas cernere parietes disturbatos, regionem desertam ab his, qui militari erant aetate, puerorum, & seminarum calamitatem, & senes quam miserimos.* vt autem boni oratoris est res paruas, & tenues augere, ita prudentis, quas res videt pro earū magnitudine, & natura satis cōmode augeri, & dilatari non posse, eas breui ita concludere, vt in breuitate magnitudo appareat. quae virtute mirabiliter excellit Valerius Maximus. Orator more comico loqui dicitur, in 34. stituto quidē veteris comoediae, cū irridet aliquē, quod vt prudēter faciat orator, vna triū methodorū vtetur: aut enim per parodiā, id est immutato tantisper verbo, vt cū

Ca-

Cato, vt legitur secundo de Oratore, quendam cognomine Nobiliorem appellauit mobiliorem, aut per inopinatam, cum aliud dicitur, atq. expectabatur, vt eodem lib. *quid huic abest? nisi res, & virtus.* quis expectaret hoc vnquam dicturum fuisse? aut cum proferuntur imagines multo maiores, aut minores, quam natura rei patitur, vt apud Plautū Milite Glorioso, Artotrogus parasitus, cum dicit militi, *Quae me ambae obsecraverunt, vt te hodie quasi pompam illac praeter ducerem.* minor illa est imago apud Macrobiū, cum rogatus amicus M. Antonij de illo quid faceret in proelio Mutinensi, respondit, *quod canis in Aegypto.* plura genera ridiculorum ex comoedia veteri afferuntur in prolegomenis comoediarū Aristophanis. sed non omnia illa fortasse decerent oratorem. plura etiam, & studiosius colliguntur a M. Tullio in libris de oratore, quod plus fortasse his tribueret, quam Attici illi, & graues oratores. propter quam causam & Demostheni longe in hoc genere anteposendus existimatur. si quis tamen sigillatim velit illa nosse, legat eundem M. Tullium, & Fabium Quintilianum. quib. addere licet exempla, quae leguntur apud Macrobiū in Saturnalibus. Ambigua porro oratio vix re-

Libro. 6
Libro. 2.
35.

pe-

peritur apud veteres oratores. nā quod Fabius notat in Bruto Ciceronis ambiguum non est, nisi sensum plane torqueas. C. Fannius alter gener Laely, quem, quia in augurum collegium cooptatus non erat, non admodum diligebat, quod sibi Q. Scaeuolam minorem natu generum praetulisset. vbi pronomen sibi nullo modo potest referri ad Laelium, vt Quintilianus voluit, nisi magna vis sensui asseratur. Quia de oratione panegyrica, quae magno vsui est oratoribus, quā breuissime praeceperat Hermogenes, addit hoc capite quaedam, quae ad eam pertinent, & ea quoque quam breuissimis observationibus comprehensa. in concionibus igitur historicorum duo sunt potissimum spectanda. reprehensio auditorum, atque eorum consolatio: vt in Liuianis plerisque apparet, non in omnibus tamen in quibus iure videntur Trogo Pompeio apud Iustinum non satis fecisse Liuius, & Salustius, quod interponendis directis concionibus modum historiae excesserint, cum obliquae veritati historiae magis congruant. videntur quoque multi historici in descriptionibus inserendis nimis sibi indulgisse, cum adhibendae non sint, nisi quo loco sine illis historia non videtur plane percipi posse. in comoedia veteri, duo etiam maxime proponuntur, reprehensio, & ridiculum, quod

Libro. 7
cap. 9.
36.

fatis

fatis testantur comoediae Aristophanis. in tragoedia itē duo, luctus, & admiratio, vt cernere licet in tragoedijs Sophoclis & Euripidis, atq. aliorū. in conuiujs philosophicis, seriae res, & personae adhibendae, ridiculae quoq. res, & personae. quod aperte intelligitur ex Symposio Platonis, et Xenophontis: in ceteris dialogis, oratio morata, & disputatio. quod satis declarant dialogi Platonis, Aeschinis, Xenophontis, & M. quoq. Tullij. nā cū primum in illis inducatur sermo familiaris consuetudine quotidiana, & oratione morata tēperatus, tum quaestio aliqua ex eo congressu excitatur. Hāc occasionē dialogi Aristoteles, & Theophrastus in suis dialogis omiserant, vt scribit D. Basilius ad Diodorū, quod totū prudentiae videtur. Nam, cum prooemia praeponerēt singulis libris exotericis, vt ait M. Tullius, exotericis autem dialogos subijcerent, auctore Ammonio, fortasse existimabant absoluto prooemio, non esse aliud exordiū necessariū, sed a re, de qua ageretur, initiū sumi oportere. quod videtur etiā idē M. Tullius prima disputatione Tusculana secutus. Negatio autē contrarij vsui oratori est ad idem significandū: vt illud frequentissimum apud M. Tullium, *non est dubium quin, id est certū est, aut ad maius aliquid ex*

pri

37.


primendum, vt pro Sex. Roscio, *non pauca effuse, & large donauit*, id est multa, aut ad aliquid minus declarandum, vt epist. 25. lib. 9. ad Var. *hominem non sapientem*, quod leuius est, quam stultum. Hae sunt obseruationes, quae priuatim ab Hermogene traduntur de methodo prudentiae, quib. dubium non est, quin aliae multae addi possint: quas & Hermogenes multis in locis promiserat. t. is est illa, quae additur ab eius interpretib. de vti concessione apud oratores, eam scilicet vtilem esse, cum valde certum fuerit, quod de aduersario in concessione dicitur: qualis illa Demosthenis ex oratione de corona, *at illud Cephalipulcrum, nunquam accusatum fuisse, & medicus fidius felix quidem*, aut cum oratori concessio utilis futura est: quales sunt pleraeque illarum, quib. respondemus oppositionib. aliquando etiam concedimus aliquid, quanuis res ipsa impediatur, quo minus persuadeamur, huiusmodi est illud Agamennonis in Iliade, cum respondet Nestori, qui sua oratione conatus erat illum placare Achilli, *est ita, inquit, senex, vt dicis: nunquam tamen animum inducā meū, vt id quod persuades, efficiam: quia iste vult omnib. imperare, & dominari*. Haec autem obseruatio, & si quae aliae eiusmodi praetermis-

Libro. I.

fac ab Hermogene sunt, facile percipi, & adiungi possunt, vt supra monuimus, ab eo, qui totam artem diligenter nouerit, & circumstantiarum naturae genus dicendi accommodarit. requiretur fortasse hoc loco, cur Hermogenes nihil de pronuntiatione scriptum reliquerit, nihil praeterea de memoria. de pronuntiatione quidem fortasse nihil praecipit, quod eam ad artem histrionum, quam Graeci hypocriticam appellant, pertinere abitraretur. nam quin ei parti multum tributurus fuerit, qui Demosthenem ita complexus esset, nemini dubium esse potest. Sulpicius etiam Victor negat pronuntiationem artis esse, quamuis maximam vim obtineat. memoria autem fortasse ab illo, vt ab Aristotele praetermissa, quod communem illam omnium artium, non propriam huius esse existimaret. quae sententia etiam aliquando fuit Ciceronis.

In Brut.

Peroratio totius operis.



Haec est ars Rhetorica Hermogenis a nobis Latina oratione sin minus expressa, adumbrata certe: in qua, quaecumque videtur

videbantur huius artis praeceptionibus conuenire, qualia omnia fere eius scriptoris sunt, quam planissime fieri potuit, descripsimus. Si quid autem addidimus, detraximus, aut immutauimus, aut quos secuti simus scriptores, notauimus, aut rationem aliquam nostri consilij attulimus. Extremum illud est, vt cum constet eruditorum virorum iudicio elocutionem Hermogenis vehementer probari, inuentionem autem longe ceteris praestantiorum esse demonstratum fuerit, concludamus nullius artem bene dicendi extare, quae huic possit anteponi, nullam fere, quae cum hac Hermogeniana possit comparari. nam, vt illa non repetam, quae supra disputata fuerunt, in Aristotelica inuentione, quam tantopere praedicauerat M. Tullius, idem neruos, & aculeos foris de siderat in eo libro, in quem, vt ipse ait, quicquid habuit iudicij de dicendo, contulit. in Hermogeniana autem quis ista audeat requirere, cum vnam *ἀριμύνη*, id est vim acrem excogitandi, & persuadendi habeat semper propositam, omnesque rationes, & vias studiosissime conquirat, quibus ad eam possit perueniri? at inuentione Hermogenis demittitur ad capita propria singulorum generum. demittitur quidem: propter quam etiam causam, vt Aristoteles in Topicis de sua methodo

In Orat.

*Libro. I.
Top.*

demonstravit facilius est, atque expedi-
tior. quid? quod haec ratio aptior est
Rhetoricae, quam Dialecticae: cum Rhe-
torica in hypothesis magis quam in thesi,
Dialectica vero contra in thesi potius quā
in hypothesis versetur. iam vero, ut ad ea,
quae initio proposuimus, redeamus, si iudi-
cio totius Graeciae, & M. Tullij, aut nullus
orator perfectus extitisse dicitur, aut solus
Demosthenes: aut omnium certe maxime,
nullius autem alterius scriptoris arte po-
test intimum Demosthenis artificium me-
lius, quam ista penetrari, adeo ut plerunq.
illius sententiam, & verba hac arte adhibi-
ta, quod ceteris vix fieri potest, diuinare cō-
tingat, ecquis non plane fatebitur nullam
aliam artem rhetoricam huic Hermogenia-
nae parem inueniri posse? interpretes cer-
te Graeci Demosthenis, & aliorum orato-
rum non alia vlla arte, nisi hac Hermoge-
nis ad eorum orationes explanandas vtun-
tur. A scionius etiam, siquid in explanan-
do artificio orationum M. Tullij, quan-
quam perparum illud quidem est, attingit,
ex Hermagoreorum arte, a qua ista mana-
uit, omne illud, quicquid est, repetit. Eu-
stathius vero omnium interpretum copio-
sissimus non alio artificio principem, ut
Libro. 2. Plinius appellat, litterarum Homerum,
nisi

nisi hoc Hermogenis illustravit. sunt &
alii interpretes poetarum, historico-
rum, quin & philosophorum multis in lo-
cis, & aliorum artificum, qui penitus si-
ne huius Hermogenianae artis cognitione
intelligi non possunt. nam quid dicam de
criticis? iudicium quidem illud grauissi-
mum Halicarnassei de tot clarissimis scri-
ptoribus, ex quo magna ex parte, quod ad
Graecos praesertim pertinet, suum repeti-
uit Quintilianus, iudicium praeterea Lon-
gini, & Hermogenis, quib. Phocionem
addas licet, nisi huiusmodi artificij Rhet-
orici ratio bene cognita afferatur, nō potest
comprehendi. Quare etiam si nulla alia v-
tilitas ex arte Hermogenis caperetur, ca-
piuntur autem multae, & maximae, ut ap-
paret, tamen quia ad facile, & acute expla-
nandos eos auctores, qui aliquid recte, &
perite scriptum posteris reliquerunt, & ad
iudicium certum, & politum de omni gene-
re scriptorum faciendum maximum affert
huius artis intelligentia adiumentum, o-
mniū longe utilissima existimanda est: &
quod extremum docui, ad interpretes ve-
terum scriptorum, & criticos intelligen-
dos ita necessaria, ut ei, qui hanc artem i-
gnorarit, nulla spes percipiendi illos reli-
qua esse videatur. si quid autem in hac arte

explicanda aut negligentia, aut ignorantione, quod fieri facile potuit, a nobis peccatum fuit, digni videmur, quorum erratis ignoscatur, cum precibus, atq. efflagitationib. amicorum iussissimis coacti meliori quidem voluntate, quam potestate instrueti hos libros scribere instituerimus, quo tēpore multis, & maximis, & priuatis, & publicis occupationib. distinebamur. a quibus, si aliquādo feruari, & otio optatissimo frui integrum fuerit, non rudia, & impolita, qualia haec magna ex parte sunt, sed meliora, & ornatioa edere conabimur. interea studiosi eloquentiae haec attente perlegēt, in quibus, si quid dignum hac arte repererint, id omne veteribus scriptoribus, & praesertim Hermogeni acceptum referant velim: si quid autem, in quo offendamus, id totum, quantumcunq. fuerit, nobis ascribant, nostraq. omnia in potestate. S. C. E. R. posita esse, quae constans, & perpetua semper in nobis fuit, eritq. voluntas, sibi persuadent.

De exercitatione Rhetorica.



Loquentiae, vt ceterarum artium facultas, tribus partib. perficitur: natura, arte, & exercitatione. Natura

tura munere diuino potissimum nobis donata est, artem a magistris, & praeceptis accepimus, exercitationē praestat quisq. pro sui ingenij facultate ex artis intelligentia, vt circumstantiarū multiplex, & varia vis, & natura postulat: quam ob causam, vt ceteris difficilior, ita & praestabilior existimatur. Exercitationis igitur Rhetoricae, quae nobis hoc tēpore proposita est, haec ratio primum ineunda, vt quemadmodum in Logisticis mensam, vt vocant, Pythago-rae, teneat quisq. memoriter, oportet ad expedita numerandum, sic in his, cū artem se mel didicerit, in prōptu habeat, tabulas totius artis, quas separatim edendas curauimus: quo breui totius artis speciē oculis, & menti subijciant: deinde ex methodo prudentiae, cuius tabula, quiavix potest describi, a nobis expressa non est, traducat ad marginem tabularum, notulas illas arithmeticas ex ijs saltim capitibus, quae cum tabulis conueniunt: vt notulam. 15. quae obseruatio est de Antitheto ad tabulam venustatis, vbi eius fit mentio. His ita cōparatis, vt ex Theodecte, & Minuciano grauissimis scriptorib. prodidit Anonymus huius artis scriptor, quinq. obseruanda sunt. Primū vt apud nosmetipfos diligenter perpendamus, in quo genere exercitationis versari

mus. secundum vt perspiciamus, quot, & quib. capitib. illud tractari soleat. tertium, vt obseruemus, qui ordo in illis capitibus collocandis tenendus sit. quartum, vt elocutionem illi accommodemus congruentem. vltimum vt methodo prudentiae singula distincte, & pro qualitate rei subiectae persequamur. Quod primo propositum est, certe allequemur, si primum a nobis annotatum fuerit, quot sint genera exercitationum Rhetoricarum. atque earum quidem vt altius initia repetamus, duo sunt genera, liberum vnum, alterum non liberum: & liberum quidem appello, id quod cum exercemus nullius scriptoris exemplo addicti sumus, contra non liberum, cum alicuius scriptoris exemplo obstricti sumus. Liberi generis tres sunt formae praecipuae simplices progymnasma, declamatio, atq. oratio. quae ex praecipuis artis facillime distinguuntur: vt si quis laudet, aut suadeat, aut defendat legem aliquam in commune, aut contra accuset, aut dissuadeat, aut vituperet nulla adhibita circumstantia, legislationis progymnasma efficiet: vt si laudet legem, quae permittit adulterum cum adultera deprehensum simul necare. quod si adhibeantur circumstantiae, tunc non erit progymnasma, sed declamatio,

tio, aut oratio. Siquis iterum suadeat aliquid in commune, aut dissuadeat praeter leges, erit thesis, vt *dandam esse operam eloquentiae*, si autem addantur circumstantiae fiet oratio deliberatiua: vt, *oportet Valentinus dare operam philosophiae*. Laus si sit rei alicuius communis, aut vituperatio, vt sapientiae, progymnasma est: quod si sit certae personae, aut loci, aut temporis, si breuiter fiat, erit progymnasma laudis, aut vituperationis, aut comparationis: quod si proluxa oratione, erit oratio generis demonstratiui. reliquae exercitationes liberae, si breues sint, progymnasmata erunt, si longae, cum argumentum fictum fuerit, erunt declamationes, cum verum orationes. generis non liberi quattuor sunt species: explicatio technologiae, id est, artificij oratorij, imitatio, iudicium de aliorum dictione, & scriptis, atq. argumenti contrarij susceptio. hae ipsae per se satis distinctae sunt. cum igitur attente consideraeris, in quo genere exercitationis versari velis, tum consulendae tabulae, quae illi generi respondent, vt intelligas, quot capitibus ad summum, & quo ordine secundum naturam confici possit, vt si quempiam laudare velis, habes tabulam laudatiunculae nominatim, qua & hoc ipsum facere, & artifi-

ficium cuiuspiam laudationis explanare, & eam imitari, atq. de illa iudicare, & ei contradicere possis. ratio autem exercendi genera non libera, breui indicata in tabula exercitationis Rhetoricae, quae vltima est. quod si vis copiosius idem efficere, habes indicem locupletissimū totius artis, qui multum praesidij afferet, vt si imitandum fuerit aliquid, monebit id, quo modo fieri possit. expositum esse in prolegomenis harū institutionū, & capite de vsu refutationis culae, & capite de ideis, atque in methodo prudentiae capp. 24. & 27. copiam autē exemplorum, quae permagni interest ad artem exercendam, lectio suppeditabit: quā & nos in singulis artis partibus, quoad potuimus, monstrauimus, sed plura se paratim conquirenda: vt ad imitationem illā, quae verbis potissimum fit, quam varie imitetur se ipsum in epistolis M. Tullius in illa clausula vulgo nota, *Ego, quae te velle arbitrabor diligenter curabo*, ad eam autem, quae fit in sententia, habes vtrāq. orationem post reditum, habes & fragmenta illa de laudib. Pompeij, vnū in ea pro lege Manilia, alterum in ea pro Cornelio Balbo. Dices: recte vero tu mones de ijs, quae in tabulis, & in institutionib. nominatim leguntur, sed quid de gratiarū actione, quid de gratulatione

tionē, & alijs, quae sunt magis consuetudinis quotidianae? omnia, si attente consideres, ad eadem praecepta dirigere poteris. proponamus nobis gratiarum actionem. Is igitur, qui gratias agit, & auctorem beneficij, & beneficium ipsum laudat, atq. amplificat, in tabulis autem, & indice multa de ratione laudandi, & amplificandi. deinde qui gratias agit, multa pollicetur: quod cū facit in ethopoeiam iucurrit, quasi alteram qualitatem personae inducat. ita ex praeteritis, praesentibus, & futuris, quae capita sunt ethopoeiae, multa illis suppetent, vt pro bonis antea partis, & ijs quib. nunc fruitur, & speratis, proq. singulorū copia multa polliceri possit, aut ex beneficijs acceptis, & praesenti memoria aliquid promittat. iā si confiteatur acceptū beneficiū, quod etiā in gratiarū actione adhiberi solet, alterā ethopoeiā constituet: in qua significabit antea confessio nē ex praeteritis, quantum sibi de amico, & eius benignitate polliceretur, quantum in praesenti senserit eius benignitatem, & quantum in posterum speret. vides quam late pateat capus inuentionis. his magna fiet accessio, si interponas multa progymnasmata, quae orationis ornamenta sunt, ac si cōsulas tabulas inuentionis, ac praesertim fontē illū vberissimū de ratione totius causae dilatandae.

dae. requires iterum, qui fieri possit inuentio copiosior, respondebo, si hypothese[m], quae magis propria oratoris est, ad thesim reuoces, vt cap. de thesi explicatum: quod artificiu[m] illustrat M. Antonius. 2. de Orat. multis exemplis in causis forensibus, ac in panegyricis quidem idem fieri potest, vt si quis laudaturus benignitatem Alexandri, laudet benignitatem in commune, quae laus thetica est, vt docuimus in progymnasmatibus. Thesis iterum potest dilatari illis locis, quos docuimus in ratione dilatandi argumenta: ita tota duplicari potest a contrarijs, vt si vituperes avaritiam. propagabitur etiam amplius, ex ceteris locis, vt a comparatione, simili, exemplo, & testimonijs, vt in chria, & sententia. sed omnium latissime, si conseras formas subiectas generi, cū ea, quae in tua hypothese[m] proposita est: vt in causa Milonis poteris docere insidiarū multas formas esse, alias honestas, quales sunt illae, quas struimus hostib. in bello, quae stratagemata vocantur, alias turpes, vt istas Clodij, quib. bonos omnes oppugnabat. omniū tamen turpissimas, quas Miloni idem moliretur. in quo licet longissime excurrere. sed haec copia inuentionis, non tam laudanda in oratore, quanquam ad fidem faciendam plurimum valet, quam

illa,

illa, qua singulae circumstantiae, & earum qualitates excutiuntur, vt explicatum est in inuentione. Qui locus, etsi latissime patet, vt ibi explicatum, nihil tamen ad inuentionem, & copiam potentius moribus, & affectibus personarum: vnde illud Iuuenalis, si natura negat, facit indignatio versum. & quoniam affectus proficiscuntur ex opinione boni, aut mali, nostri, aut alieni, praesentis, praeteriti, aut futuri, existunt hinc varia genera perturbationum. quae saepe & ipsae alias procreant: vt laetitia metum, ne bonū amittatur: cunq. personae variae sint eius scilicet, qui dicit, & eius pro quo dicit, auditorum, & aduersariorū, varij affectus in singulis possunt excitari. ex hac autem varietate, qui affectus in praesentia vehementius vrgeat, considerandum, vt ad illum oratio nostra maxime referatur. quae cogitatio, si attente fiat, & figuras sententiarum, & verborum, & vno verbo, totam fere elocutionē oratori suppeditabit. suppeditant etiam vicissim oratori ideae elocutionis, vt in illis expositum, magnā sensuum bonorū copiam, & varietatē: vt vna circuitio[n]is, quae multas paginas Demosthenis, & Ciceronis expleuit, nec fieri posse videtur, vt, ei, qui illā teneat, orationis copia vnquā desit. Possent itē huc afferri

quae,

quae extremo libro primo disseruimus de ratione dilatandi progymnasmata, atq. ea, quae libro secundo cap. de statu definitiuo de copia oppositionum, & solutionum exposuimus, & lib. 3. cap. de ratione proponēdi capita. Sed de inuēctione, & eius copia nimis multa. de ordine, quod caput sequitur singulae tabulae progymnasmatū, & statuū, & inuentionis illum praefereunt, naturalem saltim. extat etiam caput de ordine argumentorum, & in epilogo inuentionis cap. quod ars Hermogenianae inuentionis melior sit ceteris, multa diligenter de ordine sensuū obseruata. Age uerō nunc elocutio, qui adhibenda sit, doceamus. consulendae primū tabulae quattuor posteriores de usu nimirum idearum, & quo modo temperandae, quamq. vim quaeq. habeat, ceterae ad has accommodandae. ut cum laudatio panegyrica sit ornanda, aut vna illarum idearum, quae conueniunt panegyricis simpliciter, aut, si perfectam panegyricam efficere uelis, illis, quae sunt panegyricarum perfectatū propriae. & quoniam nimius usus vnius ideae potest aliquod vitiū afferre, temperanda suis contrarijs, ut circuitio nimia, quia potest afferre obscuritatē, idea contraria distinctae orationis temperanda est: & quia assiduus eiusdem ideae usus, & si nullū aliud

vitiū apportet, satietatē tamen, quae molesta est, afferet, vitabitur satietas additis alijs ideis, quae finitimae illi fuerint. vides ut in usu elocutionis ab vltimis tabulis inchoandū sit deinde, quae partes ideae cuiq. congruant, ex tabulis prioribus repetendū. requiratur fortasse, quid in progymnasmatum elocutione sequendū ad similia confugiendū, qui portus tutissimus in omni exercitatione, cū aliquid deest, ut docet Galenus de opt. secta. Ita in fabula, cuius maxima pars naratiuncula, & in naratiuncula ideae narrationis adhibendae, in loco communi, qui magna ex parte epilogus est, ideae epilogi. quin etiam si progymnasma aliquod dilatare uelis, licet hoc ab eius natura aliquantulum alienum sit, eadem similitudine commodum vteris: ut naratiunculam dilatabis partibus narrationis, & earum dilatatione, de quibus habes etiam tabulas peculiare. dices quid de usu duodecim figurarum, quae idearum disputationem praecedunt? in confirmatione, & argumentis fere totus cernitur. argumenta proponuntur acrius antithetis, & periodis, argutius parechese, circulo, & tropis aliquando, ornatius pneumate, & epiphonemate. controuersijs comparatiuis duplicantur capita confirmationis, in figuratis mutatur qua-

qualitas argumentorū, & oppositionū, & tropis multa teguntur, vt etiā oratione honesta. cacozele etiā medemur elocutione. ita elocutio accōmodanda: quod etiā si sine prudentia fieri apte non potest, methodus tamen prudentiae, quae apex est totius artis, & exercitationis, ad plura pertinet: totā enim inuentionē, & singulas eius partes minutatim, atq. dispositionē, & elocutionē eodē modo excutit, vt congruenter illa orationi accōmodet. caput autē huius methodi est finē, quē sibi proponit orator, primū spectare, ad quē omnia dirigenda. pro vario etenim fine varie omnia mutantur: vt si probare tantū velit orator, sola ea capita aut argumenta, quae ad probandū valent, adhibebit, & eū ordinē, quo alia ex alijs pendunt, atq. ideas orationis puriores, & veriores. quod si mouere volet, amplificatione magis pugnandū, & eo ordine, qui ad amplificandū est aptior, atq. ideis vehementiorib. si delectationē quaerat, dilatatione potius vtēdū, & ordine illi accōmodato, atq. ideis venustioribus. Porro finis propositus oratori varie cōmutatur pro varijs generibus, & varia qualitate circumstantiarū, quae totū etiā genus dicendi immutant: cuius artificij multa exēpla inuenies cap. de methodo prudentiae. omniū tamen potentissim-

riusimum in circumstantiarum qualitate, vt supra monstrauius, mores, & affectus eorū quib. tuā sententiā probare voles. de quibus omniū copiosissime scripsit Arist. in rhetoricis. propter quā etiā causam fortasse videtur Arist. excelluisse facultate flectēdi animos hominū, quo vellet: quam laudē insignē praeter ceteras tribuit illi Antipater apud Plutarchū. Ars igitur, quid in qua q. re fieri possit, docet, & quam lōge, lateq. propagari, methodus vero prudentiae, quid in tanta varietate, & copia eligendū sit: sed quoniam de exercitatione satis multa in cōmune praefati sumus, nunc alicui exercitationi, sin minus totā, capita certe strictim accōmodemus. sit ergo confectio epistolae quod munus propriū est oratoris, & variū, atq. multiplex. Primū ergo, quid in cōmune illa postulet, tū separatim in vno genere doceamus. finis propositus in vniuersū epistolae, quod vulgo notū, vt certiores faciamus absentes, siquid ipsorū, aut nostra scire eos intersit. ex quo fit, vt quasi loquētes cum amico per epistolā, & aliquid narātes inducamur. quapropter, recte Theo illā subiecit ethopoeiae, & Artemo apud Demetriū tanquā partē alterā dialogi esse existimauit, sed magis instructā, & ornatā, vt subtiliter monuit Demetrius. aperui igitur

tur ex sine tres fontes vberimos huius artis ad conscribendas epistolas, vnum ethopoeiae, narrationis alterum, tertium dialogorum. Ethopoeia itaque, vt ex arte cognouimus, praeteritis, praesentibus, & futuris distinguitur, ex quibus per belle series cuiusuis epistolae contextetur: vt ex praeteritis, *accepi nunciū acerbissimū de morte filij tui*, ex praesentibus, *quod equidem vehementer pro eo, ac debet doleo*, ex futuris, *tu fac animo forti, magnoq. sis, meus animus in te semper erit, qui esse debet*. huc etiā, atq. eodē ordine referri possunt, quae de narratione, & partibus illius praecipiuntur. Nā pro catastasis praeteritorū est, narratio proprie dicta praesentium, petitio affectus futurorum: in qua tamen accedit ad cumulū ratio petitionis, vt in superiori exēplo, *meus in te animus &c.* haec, si sigillatim accommodaremus, quā late fundereēt. sed fontes tantū indicandi. cōueniēt igitur etiā in epistolas tres illae ideae, quae in narratione maxime elucēt, perspicuitas, veritas, & velocitas praesertim, ea quae fit subcontinuatione, & interpositione. quā multa iterū ex his tribus fontibus in epistolas possunt deriuari. sentētia pura, & populares, vt monuit Aristoteles, quales sunt paroemiae, vt placuit Demetrio, nō tamē crebrae, vt vere D. Gregorius Nazianzenus existimauit: nec sentētia acutae, neq. graues,

nisi aut ad reges, aut ad principes viros, aut de re publica, aut de argumēto aliquo graui scribatur, vt Arist. apud Demetriū obseruauit. Methodus puritatis hoc est magna ex parte more narrationis cōscribēda: dictio vsitata, et paene plebeio sermone, vt significat M. Tullius in epist. ad Papiriū: figurae puritatis, recta oratio: vt, *is ad me scripsit*. ex idea autē distincta propositiones, praemuntiones, trāsitiones, & figurae illae enumeratio, ordo, partitio, epanalepsis, quarū exēplapassim occurrūt in epistolis Tullianis. ex velocitate itē methodus illa, vt breuis solutio breui oppositioni afferatur: vt lib. 10. in epist. ad Placū. *dices, quid antea? semper quidē, sed nunquā illustrius*, figurae subcontinuatione cū ad me puer tuus venisset, obliqua oratio, *lectistuis litteris*, interpositio, *quod te scire arbitror*. & quāquā in dialogos omne genus idearū cadere potest, maxime tamē illorū propria morata oratio, vt in arte didicimus, ex qua simplicia multa quidē in epistolis, & illud in primis, vt precibus frequēter agamus, quod argumētis impetrādū fuerat, & dulcedinis illud, quod in epistolismo opere cōmēdat Demetrius assidua quaedā amoris significatio, modestia multū, veritatis itē qualis execratio, vt illa Ciceronis, *di male faciant isti Segulio* etcetera, indignatio, *ain tandem? in sanire tibi videris* etcetera. & ex-

clamatio, vt, *o malefactorum de Alexione*, & alij affectus, atq. argutiae, & obiurgationes. atq. haec communiter epistolis congruunt, nunc ad aliquam earum formam veniamus. commendandus aliquis per epistolam, praeter illa igitur communia, in quibus tantum varietatis, & copiae, haec potissimum spectanda, si finem consideremus: laus eius, quem commendamus, unde illa, *valet ingenio, excellit iudicio, habet usum & cohortatio*, vt illum commendatum habeat. hinc illa capita, legitimi, *quia mos est ita rogandi, aequi est mihi omnibus vinculis necessitudinis coniunctissimus, utilis, erit tibi magnus sui, gloriosi, quod erit tibi magnae laudi, & gloriae, facilis, potes tu, si vis, magno nobis esse adiumento*. ac ne singula persequamur minutatim, elocutio partim ex panegyrico genere, partim ex deliberatio temperanda, sed ita, vt meminerimus epistolam esse, non orationem. consulamus affectus, quia hi iam eminent in hoc genere. cupit is, qui scribit vt is, quem commendat, quam benignissime ab amico recipiatur, unde illa, *per fortunas, per liberos, aut, si quid carius habes*, vult ab eo, cui commendat amari, *dignus*, inquit, *qui a te ametur*. confidit litteris amici is, qui commendatur, *confidit his meis litteris se apud te gratia sum fore: quae spes, ne eum fallat, te vehementer rogo*. haec adhuc communia epistolae commendati ciarum, in quibus, tamen multum est praesidij, ad

propiora descendamus, circumstantiae perpetendae. commendat M. Tullius aliquem Trebatium iurisconsulto, & urbanissimo, & cum in militia versaretur, aspergit epistolam multo lepore conquisitis formulis locutionum ex intima iurisprudencia, breui ad illum scribit, vt ad militem, quorum etiam testamenta in procinctu. commendat aliquem Bruto professione Stoico, huc illud spectat, *tum fortuna, siquid hoc ad rem pertinet, ornatus*: recte vero. Nam Stoici in solavirtute omne praesidium beat vitae collocant. scrutemur eum, qui commendatur, sit Asclapio medicus. hinc illa medici propria, *eiusque tum consuetudo mihi iucunda fuit, tum etiam ars: quam sum expertus in valetudine meorum*, &c. commendetur Valerius iurisconsultus. *Valerium tibi iurisconsultum valde commendo, sed ita etiam si non est iurisconsultus. melius enim ei cauere volo* &c. iocus ex formula iurisperorum propria. charta nos deficeret, si singulas consecutiones, atque earum qualitatem excutere vellemus. hac ratione a communibus ad propria delapsi sumus. propria autem melius indicant, quid expediat, vt in curatione monuit Galenus. eadem ratio potest declamationibus, & orationibus accommodari, in declamationibus tamen omnia liberiora, quia argumenta ficta. ita si orationem aliquam M. Tullij, aut alterius scriptoris

ptoris velis explanare, subijcies tibi primū eius argumentū accurate distinctū circumstantijs, & earū qualitate, ac praesertim illa tēporū serie, quam docuimus capite de ratione dilatandae causae totius, tum eliciendus breui eius status, dū panegyrica nō sit, ex methodo, quā de illis lib. 2. tradidimus, post considerandū sit, ne recta, an figurata, sit ne simplex, an comparatiua: variā enim tractationē haec ex arte requirunt. &, quod omnium maximum, probandum ne tantū, an etiam mouendum, & delectādū sit. quae omnia ex circumstantiarum qualitate facile colligentur: vt, cū causa Archiae ipsa per se inops esset, & apud iudices litteratos pro homine litteratissimo, nec ipse quidem litterarum rudis, sed longe eruditissimus orator diceret, aptissimus ille exitus de litterarū studijs, in quem excurrit, praesertim cū ad causam accommodetur. proposito statu videndū, quib. capitib. vtius orator, cur aliqua omiserit, quā rationē ordinis in illis secutus, quae omnia eadē circumstantiarū obseruatio sumministrabit: vt in causa Archiae cū exploratū satis esset, posse illū a iudicib. absolui, de eo capite nulla mētio, nec de utilitate in ea oratione magnopere laborat M. Tullius, quod apud graues viros, & litteratos dicat: propter quā etiam causam, cū

- id,

id, quod legitimum est, quod maxime propriū eius causae erat, potissimū sumptū, ad id quod aequū est, & ad gloriosum dixerit. eadē ratio consilij impulit M. Tullū ad ordinē capitū inuertendū tertia Philippica. nā cū in Senatu diceret, gloriosum ceteris anteposuit. his notatis obseruādum, an omnes partes orationis in ea adhibeantur, an aliqua desit, aut breuiter adhibeatur: vt in Maniliana breuissima narratio, quod de liberatio sit, & notū satis esset auditoribus, qua de re sententia dicenda esset. ordo etiā partium, si quando mutetur, & cur considerandum: vt in Miloniana narratio sequitur refutationem, quia non poterat illa plane percipi, nisi prius trib. illis quaestionibus, quae eo loco proponuntur, satisfactū fuisset. neq. vero in partib. singularū partū haec ratio negligenda: vt cū tria prooemia sint in ea pro Archia, quod rectū antecedit obliqua, quia vix vlla suspicio mali erat in patrono, & ex duob. obliquis antecedit illud ex quo alterum pēdet. post haec cogitandum de elocutione eo modo, & ordine, quo supra monuimus: ita Maniliana cū foretis sit, quia est deliberatio, & laudandus in ea fuerat Pōpeius, quod est panegyrici generis, tēperata est ex ideis vtriusq. generis. sed ita vt tertio capi. eius orationis magis accom-

Dd 4

mo-

nouū opus conficimus, analysi vero confectum ab alio opus ipsi reteximus. ita lectio, & auditio, quae duae exercitationes a Theone adiunguntur, si cum cura fiant, ex artis praeceptis, dū legimus, aut audimus aliquid, obseruamus, quae nobis vsui esse possunt. neq. vero illa exercitatio ab ijs generib. disincta est, qua monet idem Theo, vt magister proponat discipulis thema ab aliquo eloquentissimo oratore antea tractatum, illis tamen ignotum, vt illius optimi scriptoris exemplo possit discipulum perfectius erudire. illa enim exercitatio, cum primum sit a discipulo libera est, at cū emendatur alterius exemplo, non est libera, & vt iudicium maxime, aut certe tanquam imitatio perficitur. Hae sunt Rhetoricae artis exercitationes: quae etsi in cogitando perse quēdae sunt illo ordine quinq. capitum, quem ex Theodecte, & Minuciano demonstrauimus, non sunt tamen prius operi manus ad mouendam, quam methodum prudentiae consulamus: quia rationes ceterarum partium, quod commodo oratoris sit, saepe numero conturbat.

FINIS.

INDEX RERVM, ET
verborum.

- A** *Bicla oratio*. 290. 336. (341.)
Ab initio ad finē. 117. 140. 349. 370.
 201. 234.
Ablatio. 314. 325. 341.
Ablatio inferens. 314.
Absolutio. 85. 98. 99. 105. 109. 113. 116. 120. 123.
Absolutus status. 77. 107. 126.
Abūdās oratio qui fiat. 378
Adiuncta. 251.
Admiratio. 357.
Admonitio Fabulae. 8.
Aequum. 36. 60. 90. 126. 167. 171. 220.
Affectus. 86. 90. 125. 143. 157. 160. 162. 173. 177. 182. 234. 241. 247. 250. 357. 360. 396. 413. 414.
Afirmatio. 341.
Allegoria. 318.
Ambigua oratio sitne in pri- scis scriptoribus. 398.
Ambiguitas. 79. 124. 296
Ambitus. 276.
Amplificatio. 15. 34. 52. 58. 97. 109. 178. 201. 224. 233
Amplificatione qui utēdū. 336. (341.)
Amplificatio signorum. 233.
Amplificatio totius causae. 239. 292.
Anapaeestis. 192. 194.
Anapaesti. 322.
Anaphora. 340.
Anastrophe. 342.
Anthypophora. 204.
Antiparastasis. 86. 129. 130 156. 205.
Antistasis. 354.
Antistropha. 340. 346.
Antitheton. 257. 276. 339. 385. 415.
Apologues. 6.
Apophthegmata qui illustranda. 235.
Aposiopesis. 359. 380.
Apostropha. 271. 321. 327. 345. 392.
Approbatio. 19. 23. 321. 359.
Argumenta ut inueniēda. 208 dilatanda. 216. acriora ut fiāt. 221. collocāda. 231. qualitas eorum. 252. periodis concludenda. 259.
Arguta oratio. 348. 354.
Artificiū duplex in oratione

INDEX RERVM

393.
Ascriptio. 119. 137.
Asperitas. 304. 320. 327.
Asumptio. 86. 98. 105. 109.
 110. 114. 115. 119. 126.
Assumptivus status. 77. 115
Asyndeton. 326. 330. 346.
 383.
Attentio qui paretur. 173.
Auctoritas. 316.
Ἀξιωματικόν. 308.
Basis. 253.
Benivolentia qui paretur. 173
Cacoclon. 290. 416.
Capita statuum. 80. 249.
 ut proponenda. 202.
Cataphora. 193. 274.
Catastasis. 147. 187.
Κατ' ὑπόθεσιν, quid *Ἰξετῆας*.
 257.
Causae. 59. 251. earum frequē-
 tatio. 275.
Characteres. 301. 368.
Chores. 322.
Chria. 16. usus. 21. 85.
Circuitioidea. 304. 332. 341.
 350. 381.
Circulus. 276.
Circulus. 282. 339. 415.
Circumstantiae. 12. 208. earum
 qualitas. 159.
Civilis causa quid. 1. eius ge-
 nera. ibi.
Clausula. 302. 344.
Climax. 340.
Collectio, idest ratiocinatio.
 141.
Collectio figura. 305.
Colon. 268.
Color. 86. 140.
Comice loqui. 397.
Comma. 267.
Commendandi ratio. 420.
Commiseratio. 245.
Comoratio. 84. 214. 231. 235.
 270. 272. 309. 378.
Comunia qui fiat propria.
 395.
Commutationes crebrae, &
breves. 346.
Comoedia. 348. 351. 397. no-
 na. 368.
Cōparatio progymnasma.
 49. usus. 35. 43. 46. 51.
 122. 224. 246. caput sta-
 tuum. 104. 108. 115. 120.
 201. status. 77.
Cōparativae controversiae.
 297.

ET VERBORVM.

297. 415.
Compenlatio. 77. 143. 157.
Compositio. 343.
Concessio. 60. 62. 66.
 67. status. 78. 143. figu-
 ra. 203. cui usus. 401.
Conciones. 367. rectae. ibi
 399. obliquae. ibi.
Cōfirmatio. 5. 201. quae v-
 sui illi. 10. 16. 19. 21. 24. 32.
 37. 48. 52. 55. 56. 63. 68.
 pars exordij. 148.
Confirmatiuncula. 29. usus
 32. 85.
Conglutinatio. 396.
Cōiecturalis status. 76. 83.
Coniugata. 252.
Coniunctio. 313. 347.
Conquestio. 245.
Consentaneum. 30. 31.
Continentia. 123. 124.
Contrariae leges. 78. 121.
Cōtrariū. 19. 23. 28. 34. 66.
 218. figura. 257.
*Contrariū eius quod persua-
 dere videmur, qui impe-
 trabimus*. 389.
Controuersiae. 59. coloratae
 149.
Conuolutio. 315. 347. 362.
Copia verborum. 378.
Copulatio dirimens. 324.
Correctio. 327. 353. 359.
*Crimen manifestū confiten-
 dum*. 397.
Dactyli. 322.
Declamatio. 3. 243.
Decussata periodus. 266.
Decorum. 30. 31.
Defensio verisimilis. 87. 140
Definitio. 95. 100. 108. 130.
 140.
Definitiones cōglobatae. 275
Definitio cōtraria. 96. 108.
Definitio ex scripto. 104.
Definitio violenta. 87. 99.
 104. 115. 120. 123.
Definitivus status. 76. 95.
 97. 98. 104.
Deliberatio. 48. 77. 169.
 365. bis.
Deliberatiū genus. 2. 37.
 390.
Demonstratio figura. 271.
 330. progymnas. 56.
Demonstratiū. 1. 37. 74.
 90. 168. 169. 170. 174.
 179. 224. 249. 390.
 Deri-

INDEX RERVM.

Derivatio. 85.
 Descriptio. 55. et sus. 56. 85.
 88. 122. 182. 184. 241. 284.
 364. 307. historicorū. 399.
 Dialogi. 367. 400.
 Diatriphas. 55.
 Dicendi genera. 300.
 Dichores. 522.
 Differentiae. 251. 307.
 Dignitas. 304. 362.
 Digressio. 184. 192.
 Dilemma. 255.
 Dialogia. 356.
 Dilucida oratio vide perspicuitas.
 Dissimilitudo. 251.
 Distincta oratio. 331. 334.
 Diuinitio quid. 131.
 Diuisio. 251.
 Docilitas qui paratur. 173.
 196.
 Dubitatio. 180. 260. 324.
 327. 357. 359.
 Duetus. 293.
 Dulcedo. 348. 350. 419.
 Dura oratio qui mollienda.
 380.
 Effectus. 251. eorū frequen-
 ratio. 275.
 Effictio. 56.
 Electio. 310.
 Elocutio. 5. 257. qui paratur
 414. qui adhibenda ibi.
 Emphasis. 294. 319.
 Enargia. 289.
 Enstasis. 60. 67. 204.
 Enthymema. 221. 240. 250
 Enumeratio epilogi pars.
 88. 245. 383. figura. 306.
 310. 356. differt ab enume-
 ratio. 88.
 Epanalepsis. 336.
 Epanastropha. 340.
 Epenthymema. 221. 226.
 250.
 Epenthymesis. 380.
 Ephodos. 13.
 Epichorema. vide argumē-
 tum.
 Epidiorthosis. 335.
 Epilogus. 5. 13. 20. 24. 28.
 31. 33. 37. 43. 47. 51. 63.
 67. 94. 95. 101. bis. 102.
 240. 245. quae vsui illi.
 15. 16. 21. 25. 37. 48. 52.
 55. 58. 63. 68.
 Epiphonema. 283. 415.
 Epiphonematicum. 285.
 Epi-

ET VERBORVM.

Epiphora. 194.
 Episodium. 240. (417
 Epistolae scribendae ratio.
 Epitheta. 353.
 Epitritus. 322.
 Ethopoeia. 52. vsus. 55. 85.
 174. 236. 241. 271. 384.
 393.
 Euentus. 90. 128. 135.
 Exceptio rei indicatae. 79
 Exclamatio. 274. 285. 357
 Excusationum copia. 86.
 Exēplū. 20. 23. 225. 244.
 275. eius frequentatio. ibi.
 Exercitationum genera. 3.
 406.
 Exordiū. 5. 11. 39. 60. 195.
 369. exēpla. 11. 18. 23.
 25. 29. 34. 39. 45. 49.
 60. 66. 153. & deinceps.
 quae vsui illi. 10. 16. 21.
 24. 47. 51. 55. 58. 68. mu-
 nus partes. 147. genera.
 152. unde sumatur. 156.
 ex opinione. 160. ex diui-
 sione. 167. ex abundāti.
 169. ab occasione. 170. de
 exordijs in commune ibi.
 Exornatio vide demonstrati-
 onem.
 Exoratoricorū exordia. 400.
 Expositio suae sententiae.
 321. 361.
 Execratio. 357.
 Fabula. 6. vsus. 10. 183.
 317. 350. 364.
 Facile. 127. 134.
 Facultas artis quib. fit. 406
 Ficta argumenta. 228. 237.
 250.
 Figurae aequales. 384.
 Figuratae cōtrouersiae. 292
 415.
 Finalia capita 36. 60. 67.
 90. 157
 Forensis oratio. 265. 364.
 Funebres orationes. 367.
 Generalis status. 76.
 Gloriosum. 36. 66. 127. 135
 157.
 Gratias agendi ratio. 411.
 Granitas. 361.
 Hiatus. 333. 347.
 Historiae. 241. 318. 324.
 365. 367.
 Homoeoptolon. 337. 384.
 Homocoteleuton. 338. 347.
 385.
 Honestas oratio. 288.
 Hy-

INDEX RERVM

Hyperbaton. 260. 321. 332.
 341. 385.
Hypocritica. 368. 402.
Hypophora. 204.
Hypothesis figura. 311.
Iambus. 322. 333.
Idea orationis. 5. 257. 299.
 genera. 301. partes. 302.
 vsus. 364. *similitudinis*, *con-*
trariae. 370.
Idolopocia. 53.
Imitatio. 3. 32. 299. 390.
 410.
Imperandi modus. 328.
Improbabile. 27. 28.
Incidentes status. 91. 93. 102.
 106.
Indecorum. 27. 28.
Indignatio. 245.
Inductio. 275.
Innotatio. 342.
Inopinatum. 398.
Insinuatio. 173.
Interpositio. 310. 315. 324.
 338. 345.
Interpretatio. 73. 144.
 235. 299.
Interrogatio. 270. 328. 382.
sui ipsius. 336. 382.

Inuentio. 4. 147. 247. *quae*
copiosior fiat. 411. *quid in*
ea potentissimum. 413.
Inutile. 27. 28.
Ionicus. 322.
Ironia. 204. 360.
Isocolon. 339.
Iteratio eiusdem verbi. 378.
 382.
Judiciale genus. 2. 37. 75.
 178. 366. *ibi*. 391.
Judicium de scriptoribus. *quod*
fiat. 299.
Juridicialis status. 77.
Juris particula. 107.
Insurandum. 325. 349. 358.
 388.
Laudare seipsum. 391.
Laus. 38. *vsus*. 47. 74. 88.
 122. *thetica*. 44.
Legislatio. 63. *vsus*. 68.
Legislatoris sententia. 96.
 104. 108. 119. 121. 122.
 124. 144.
Legitimum. 36. 60. 125. 157.
Legitimus status. 76. 78.
 118. 124. 144.
Loci argumentorum. 251. 252.
Locus communis. 33. *vsus*. 37.
 85.

ET VERBORVM

85. 122. 254. 329.
Magnitudo orationis. 304.
 349. *ibi*.
Membrum vide colon.
Memoria. 402.
Mentiri quando soleat ora-
tor. 387.
Metalepsis. 80.
Metaphora. 286. 319. 355.
Metathesis. 343.
Methodus pars ideae. 302.
Metrica. 368.
Mista oratio. 364. 368.
Modestia. 348. 355. 366.
Morata oratio. 321. 348.
 361.
Mores. 185.
Narratio. 5. 7. 12. *vsus*. 16.
 177. 315. 332. 351. *formae*
 186. *ornatus*. 189. *ut fir-*
ma videatur. 395. *quae*
progymnasmata illi vsui
 10. 16. 24. 47. 51. 55. 57.
 69.
Narratiuncula. 12. *quae effe-*
tenda. 13. *vsus*. 16. 85. 177.
 183.
Necessarium. 126.
Negatio vide Enstasis.

Negatio contrarij. 400.
Negotialis status. 77. 125.
 298.
Notatio. 57.
Nonna nomina quae facere li-
ceat. 330.
Obiurgatio idea. 348. 360.
Obliqua oratio. 311. 326.
 345. 347.
Obliquus ductus. 293.
Oppositio. 60. 62. 63. 66.
 67. 85. 88. 97. 129. 336.
 358. *eius inuentio*. 97. *quae*
proponenda sit aduersarij.
 389.
Optatio. 242. 357.
Orationis partes. 5. 147.
Oratoris finis, officium, ma-
teria 1. *instrumenta, appa-*
ratus. 2. *opera*. 3.
Ordo. 336. 414. *figura*. 309.
 346. *argumentorum*. 231.
capitulum in generibus causa-
rum. 390.
Paeon. 322.
Panegyrica oratio. 266.
 364. 366. 390. 399.
Parabola. 216.
Paralepsis. 356.

INDEX RERVM.

Parechesis. 280. 339. 354. 385. 415.
a Pari argumentum. 216.
Parison. 339. 347.
Parisosis. 339. 347.
Parodia. 396.
Paroemiae. 418.
Partitio. 192. 195. 197. 311. 313. 336. soluta. 359. secundū paria. 341.
Pathopoeia. 53.
Periodus. 243. 259. 283. 415.
Periphrasis, vide circuitio.
Peroratio vide epilogus.
Personae qualitas. 107. 159. 214.
Perspicuitas. 309. 310. 331.
Perturbationi vehementi ceden dum. 396.
Petitio. 77. pars exordij. 149. orationis. 182.
Plena oratio. 316.
Pneuma. 267. 284. 326. 415.
Poesis. 350. 365. 368. 424.
Polyptoton. 342.
Potestas. 84. 201.

quod Potest fieri. 127. 157.
Praeconfirmatio. 195. 200.
Praemunitio. 327. 334.
Præscriptio. 70. 136. caput status. 83. 93. 103. 108. 112. 114.
Praeteritio. 296. 305. 356.
Procatasias. 180. 183. 191.
Procuratores quando adhibendi. 338.
Prodiorthosis. 335.
Proelthesis. 176.
Progymnasmata. 4. 5. in communa. 69. 90. eorum exordia. 169. elocutio. 415.
Pronunciatio. 402.
Proparescens. 176. 194.
Propositio pars exordij. 148. 149. totius orationis. 192. 195. pars capitum aduersarij. 204. pars periodi. 262. in statibus. 81. 82. 83. 93. 95. 103. 107. 112. 114. 115. 119. 121. 124. 125. 133.

Pre-

ET VERBORVM.

Propositio contraria. 121. 124. 204.
Prosopoeia. 53. 156.
Prudentiae methodus. 4. 5. 372. 416. 417.
Puritas. 331. 418.
Pyrrhicus. 328.
Qualitas. 307. personarum 89.
Quantitas. 97. 104. 108. 201. 234. 307.
Ratiocinatio status. 79. 103. caput. 96. 104. 108. 113. 114. 116. 130. 137. 141. eius solutio. 96. 104. 108. 113. 114. 119. 137. 251.
Rationalis status. 76.
Recriminatio. 92. 297.
Recta oratio. 321. 332.
Redditio pars exordij. 148. 149. 171. periodi pars. 262. figura. 312.
Refutatio. 147.
Refutatio vincula. 25. usus. 32. 85.
Relatio criminis. 77. 157.
Remotio criminis. 77. 157.

Reprehensionis notae. 14. 260. 271.

Repugnans vide contrarium.

Rhetor. 150.

Rhetorum sectae quot, & quae, qui earum principes, & sectatores, quae praestantior. proem.

Rhetoricae diuisio. 4.

Rhythmus. 302.

Ex Scripto, & sententia. 78. 118.

Secundae orationis exordij. 148. quando ei locus. 394.

Sententia. 22. usus. 24. 216. 259. pars ideae orationis. 302.

Separatio. 325.

Signa. 85.

Similitudo. 19. 23. 217. 260. earum copia unde. 19.

Simplicitas. 348. 361.

Solutio. 62. 63. 66. 67. 86. 87. earum methodus. 97. 207.

Ec 2

Sophi-

INDEX RERVM

Sophisticae vituperatio. 45.
 Splendor. 304. 323. 331. 349.
 Spondae. 322. 328.
 Status. 4. 75. 154.
 Subcontinuatio. 312. 345.
 Submissio. 234. 243.
 Subiectio. 204.
 Subito videri dicere quan-
 do utile. 386.
 Summa oratio. 370.
 Symploca. 279. 342. 346.
 Synecdocha. 321.
 Tensio. 274.
 Testimonia. 84. 208. 216.
 Thesis. 59. vsus. 63. 84. 87.
 88. 109. 114. 115. 120.
 123. 124.
 Topica mentio. 138. 139.
 248.
 Tragicè loqui. 397.
 Tragicæ. 320. 400.
 Transiitio. 204. 227. 335.
 Translatio. 79. 88.
 112. 126. caput. 85. 94.
 98. 99. 105. 109. 113.
 114. 115. 120. 122. 124.
 Trocheus. 333. 348.
 Tropus. 286. 332. 415.
 Turpitude qui tegeda. 289
 Vehementia. 304. 329.
 Velocitas orationis. 313. 343.
 345. 370.
 Venustas. 313. 334. 337.
 366. 370.
 Verisimilia. 85.
 Veritas idea. 346. 357. 419.
 Versus 352. vi interpretandi
 395.
 Vigor narrationis. 182. pneu-
 matis. 272. 273. idea ora-
 tionis. 304. 330.
 Violenta solutio. 205.
 Vituperatio. 45. vsus. 47.
 84.
 Vocabulorū significatio qui
 ignoretur. 377. in eorū si-
 gnificatione quae tenenda
 377. in eorū vsu qui pec-
 cetur. 378.
 Voluntas. 84. 201. 210.
 Vitale. 31. 36. 61. 126.
 157.
 Zeugma. 260.

NOMINA GRAECA QVAERE-
 Ipondent Latinis huius artis.

Rhetorica, ἡ ῥητορικὴ.
 status, στάσις.
 inuentio, εὕρεσις.
 Elocutio, φράσις.
 Methodus prudentiae, μέ-
 θοδος δεινότητος.
 Fabula, ὁ μῦθος.
 admonitio, παραίνεσις.
 Narratiuicula, διήγησις.
 circūstantiae, περιστάσις.
 persona, πρόσωπον.
 res, πράγμα.
 tempus, χρόνος.
 locus, τόπος.
 modus, τρόπος.
 causa, αἰτία.
 Chria.
 laus brevis, ἐπικωμισκόν.
 expositio brevis, παρα-
 φρασικόν.
 ratio, τὰ δ' αἰτίας.
 contrariū, ἐκ τ' ἐναντίων.
 similitudo, παραβολή.
 exemplū, παράδειγμα.
 testimonium veterum,
 μαρτυρία παλαιῶν.
 epilogus brevis, ἐπιλόγος
 βραχύς.
 sententia, γνώμη.
 Rejunctiuicula, ἀντικειμή.
 exordium, προοίμιον.
 obscurum, ἴσαφές.
 improbable, ἀπιθανόν.
 quod fieri non potest, ἰδύ-
 νατον.
 repugnans, ἀνακόλλητον.
 indecorum, ἀπρεπές.
 inutile, ἀσύμφορον.
 Confirmatiuicula, κα-
 τακειμή.
 manifestum, σαφές.
 probable, πιθανόν.
 quod fieri potest, δυνατόν.
 consentaneū, ἀκόλλητον.
 decorum, πρέπον.
 utile, συμφέρον.
 Locus communis, κοινὸς
 τόπος.

expositio, ἐκθεσις.
comparatio, σύγκρισις.
digressio, παρεμβασίς.
remotio misericordiae, ἐκβολὴ ἰλαξ.
capitula finalia κεφάλαια τελικὰ.
legitimum νόμιμον.
aequum, δίκαιον.
gloriosum, εὐδξου.
eventus, ἐκβητόμενον.
Lais, ἐγκράμιον.
genus, γένος.
natio, ἔθνος.
patria πατρίς.
maiores παρόγονοι.
parentes, πατέρες.
educatio, ἵατροσφία.
professio, ἐπιτηδευμα.
ars, τέχνη.
res publica, πολιτεία.
actiones, πράξεις.
honor, τιμή.
mors, θάνατος.
Vituperatio, ψόγος.
Ethopoeia.

praesens, ἐνεστώ.
praeteritum, παρωχημένον.
futurum, μέλλον.
Descriptio, ἐκφρασις.
accedentia, τὰ πρὸς ἄνω.
coniuncta, τὰ ἐν αὐτοῖς.
consequētia, τὰ ἐξ αὐτῶν.
Thesis.
ingressio brevissima, ἔφοδος.
oppositio, ἑντίθεσις.
solutio, λύσις.
Legislatio, νόμος εἰσφορῆς.
coniunctivus status, σοχασμός.
praescriptio, παραγραφή.
testium petitio, ἐλέγχων ἀποαιτήσεις.
voluntas, βέλησις.
potestas, δύναμις.
signa, τὰ ἀπὸ ἀρχῆς ἕως τέλους.
absolutio, ἀντίληψις.
translatio, μετάληψις.
assumptio, μεταθέσις, ἀ-

τίσις.
defensio verisimilis, ἀπολογία πιθανή.
coniecturalis qui incidit in alterum, ὁ ἐμπίπτων σοχασμός.
coniecturalis a voluntate tantum, ὁ σοχασμὸς ἀπὸ γνώμης.
qualitas communis, ποιότης κοινή.
Definitivus status, ὁριστικὴ εἴσις.
propositio, πρόβωλη.
definitio ὄρος.
contraria definitio, ἀνθορισμός.
ratiocinatio, συλλογισμός.
legislatoris sententia, νομοθέτης γνώμη.
quantitas, πηλικότης.
comparatio, τὰ πρὸς τί.
assumptio, ἐντίθεσις.
cum pro nomine nominatum in definitione, ὁ

ἀντονομαζῶν ὄρος.
Definitivum secundum duas personas, ὁ κατὰ πρόσωπα διπλῆς ὄρος.
definitio incidens in alteram definitionem, ὁ ἐμπίπτων ὄρος.
duae definitiones, δύο ὄροι.
Ratiocinationis status, συλλογιστικὴ εἴσις.
definitio violenta, ὄρος βίαιον.
Absolutus status, ἀντιληπτικὴ εἴσις.
particula iuris, μόριον δικαίου.
Absolutus duplex, ἀντιληπτικὴ διπλῆ.
coniunctione duplex, κατὰ συμπλοκὴν διπλῆ.
divisione, κατὰ διαίρεσιν.
Absolutus simplex, ἀντιληπτικὴ ἀπλῆ.
ex re commissum, ἐμπίπτον πρᾶγμα.

ex euentu, ἐξ ἑπισημει-
θηκότος.

Translationis status,
μετάληπικὴ εἰσις.

Assumptiuis status,
ἀντιθετικὴ εἰσις.

compensatio, ἀντίστασις.

remotio criminis, μετὰστα-
σις.

relatio criminis, ἀντιέ-
κλημα.

concessio, συζήσις.

consilium, διάνοια.

Ex scripto, ἐκ sententia,
ἐκ τῆς ἑξ ἑξ διανοίας.

ascriptio, προσδιόσις.

Contrariae leges, ἀν-
τινομία.

continentia, τὸ περιέχον
ἢ περιχόμενον.

Ambiguitas, ἀμφιβολία.

negotialis, πραγματικὴ.

praescriptio, παραγραφή,
ἢ μετὰληπτικὸς ἔργατος.

Prooemium
ex opinione, ἐξ ὑπελή-

ψευδῆ.

ex subdivisione, ἐξ ὑπο-
διαρέσεως.

ex abundantia, ἐπιπεριστίας,
ex occasione, ἀποκαρῆ,
partes, μέρη.

propositio, πρότασις.

redditio, ἀπόδοσις.

petitio, αἰσίωσις.

ratio redditionis, βάσις.

Narratio, διήγησις.

procatasias, προδιήγησις

facta, παραθέματα.

dicta, λεχθέντα.

praetermissa, παραλει-
φθέντα.

consilia, λογισμοί.

simplex, ἀπλή.

confirmata, διατάσσενος.

illustrata, ἐνδιάκεινος.

confirmatio, κατασκευή.

praecconfirmatio, προκα-
τασκευή.

propositio capitum, εἰσα-
γωγὴ κεφαλαίων.

subiectio, ὑπεφορά.

contraria propositio, ἀντι-
πρότασις.

subiectionis solutio, ἀνθυ-
πέφορα.

violenta solutio, βλαμῶ-
λύσις.

argumenta, ἐπιχειρήματα.

argumentorum dilatatio,
ἐργασία ἐπιχειρημάτων.

signorum amplificatio,
τῶν ἀρχῆς ἄχρι τέλους ὑ-
ποδιαίρεσις.

argumenta ficta, ἐπιχει-
ρήματα πλασά.

argumentorum ordo, ἐπι-
χειρημάτων τάξις.

amplificatio totius cau-
sae, διασεισμή.

exempla ex occasione verbo
rū producta, κωρίων ἀγωγῆ

Figurae orationis, σχήμα-
τα λόγου.

circulus, κύκλος.

Tropus, τροπή.

honestas oratio, σεμνὸς
λόγος.

figuratae controversiae,
ἑτχηματισμένα θεολή-
ματα.

comparatae controversiae,
συγκριτικὰ θεολήματα.

Idearum partes,
sententiae, εὐνοιαί.

dictio, λέξις.

membra, κῶλα.

compositio, σύνθεσις.

clausula, ἀνάπαυσις.

genera, γένη.

magnitudo, μέγεθος.

perspicuitas, σαφήνεια.

velocitas, ὀργότης.

venustas, κάλλος, ἢ ἐπι-
μέλεια.

modata oratio, ἡθικὸς λό-
γος.

gravitas, θεινότης (γος).

Circuitio, περιβολή.

enumeratio, τὸ κατ' ἀ-
θροιστικὸν θεσλαμβανόμε-
νο ὄμοιο ἀπαρίθμησις. (νομ.)

elcctio, θεστίμησις.

obliqua oratio, πλαγια-
σμός.

subcontinuatō, τὸ ἐπιτρέ-
redditiō, ὑπόστασις. (χορ.
partitiō, μεριτυός.
coniunctiō, συμπλοκή.
ablatiō inferens, τὸ κατ'
ἔρσιν κ' ἴσιν.
copulatiō dirimens, τὸ ἐξ
ἀναφορῆς συμπλεκτικόν
Coniunctiō, συσροφή.
interpositiō, ἐπιμεβολή,
ὑποσοφή.
Amelioritas, σαμνότης,
ἀξιωματικόν.
recta oratiō, ὀρθότης.
asseruatiō sine dubita-
tione, ἀπόφανσις ἀνευ ἔν-
δοκασίας.
expositiō suae sententiae
ἐπίκρισις.
Splendor, λαμπρότης.
ablatiō, ἀνάρεσις.
separatiō, ἀπόσασις.
Asperitas, τραχύτης.
imperandi modus, τὸ
προστατικόν.
reprehensionis nota, τὸ

ἐλεγκτικόν.
interrogatiō, ἐρώτησις.
Vehemētia, σφοδρότης.
demonstratiō, τὸ δεικτι-
κόν.
Vigor, ἀκμή.
Puritas, καθαρότης,
Distincta oratiō, ἀκρί-
νεια.
Venustas.
partitiō secundū partem, με-
ρισμὸς κ' τ' ὁμοζύγιον.
affirmatiō, καὶ ἀφασις.
innotatiō, τὸ καμιοπρε-
πές.
Velocitas.
commutationes breues,
et crebrae, πυκναὶ δι' ἐ-
λαχίστην ἑξαλλαγήν.
Simplicitas, ἀφέλεια.
Dulcedo, γλυκύτης,
ἡδονή, ἀβούτης, ὦρα.
Arguta oratiō, δριμύ-
της, ὀξύτης.
Modestia, ἐπιείκεια.
Veritas, ἀλήθεια, ἐνδικία

θετος λόγος.
exclāmatiō, τραυμασμός.
admiratiō, θαυμασμός.
dubitatiō, ἀσπόρησις.
oratiō, εὐχή.
execratiō, ἕναντιήσις.
correctiō, ἐπιδιόρθωσις.
partitiō soluta, μερισμὸς
ἀπόλυτος.
obiurgatiō, βεβούτης.
oratiō civilis, aut forensis
πολιτικὸς λόγος.
mixta, μικτός.
Methodus prudentiae.
abundans oratiō, περι-
τότης.
compositiō, ἀσπριβή.
praeteritiō, παράληψις.

interrogatiō, πένυσις.
propositiō, προθέσις, ὑ-
πόστασις.
epitaphiō, ἱνακεφα-
λαίωσις, ἐπάνοδος.
aequales figurae, ἰσασκή-
ματα.
subito videri dicere, προ-
ποίνσις σχεδία.
amplificatiō, ἀύξησις.
artificiū forense, πάλαι-
σμα δικαστρίων.
secunda oratiō, δευτερο-
λογία.
conglutinatiō, κόλλησις.
conciō, δημηγορία.
coniunctiō, συμπόσιον.
negatiō, ἀπόφασις.

INDEX CAPITVM

totius operis.

P rooemium. (cae. i. lae. ibi.	
Prolegomena Rhetorice.	De confirmatiuncula. 28.
De diuisione totius artis. 4.	De usu refutatiunculae, & confirmatiunculae. 32.
De progymnasmatibus. 5.	De communi loco, atque eius partibus. 33.
De fabula. 6.	De usu loci communis. 37.
Qualis esse debeat narratiuncula fabulae. 8.	De laudatione. 38.
De admonitione, & generibus fabularum. 8.	De vituperatione. 45.
De usu fabularum. 10.	De usu laudis & vituperationis. 47.
Qui respondeat fabulae exordio. 11.	De comparatione. 49.
De narratiuncula. 12.	De comparationis usu. 51.
Quo modo efferrī solcat narratiuncula. 13.	De ethopoeia. 52.
De generibus narratiuncularum. 15.	De usu ethopoeiae. 55.
De usu narratiuncularum. 16.	De descriptione. 56.
De chria. 16.	De usu descriptionis. 57.
De usu chriarum. 21.	De thesi. 58.
De sententia. 22.	De partibus thesibus. 60.
Quo partibus sententia absoluitur. ibid.	De usu thesibus. 63.
De usu sententiarum. 24.	De legislatione. 64.
De refutatiuncula. 25.	De partibus legislationis. 65.
De partibus refutatiunculae.	De legislationis usu. 67.
	De progymnasmatibus in commune. 69.
	De statibus. 74.
	De

TOTIVS OPERIS.

De statu coniecturali. 83.	De ratione proponendi capita. 202.
De statu definitiuo. 95.	De ratione inueniendi argumenta. 208.
De ratiocinatione. 103.	De ratione dilatandi inuenta argumenta. 216.
De absoluto statu. 107.	De enthymemate, & epenthymemate. 221.
De statu translationis. 112.	De ordine argumentorum. 231.
De assumptiuis statibus. 114.	De ratione amplificandi signa. 233.
De legitimis statibus. 118.	De ratione amplificandi causam totam. 239.
De contrarijs legibus. 121.	Quod ars inueniendi Hermogenis melior sit ceteris. 247.
De ambiguitate. 123.	De elocutione. 257.
De statu negotiali. 125.	De periodo. 258.
De praescriptione. 136.	De pneumate. 267.
De statibus in commune. 137.	De dilemmate. 373.
De inuentione, ac primum de exordijs. 147.	De parechesi. 280.
De exordijs ex opinione. 160.	De circulo. 282.
De exordijs ex diuisione. 167.	De epiphonemate. 283.
De exordijs ex abundantia. 169.	De tropo. 286.
De exordijs ab occasione. ibi.	De honesta oratione. 288.
De exordijs in commune. 170.	De cacozele. 290.
De narratione. 177.	De controuersijs figuratis. 292.
De partibus narrationis. 180.	De controuersijs comparatis. 297.
De narrationum formis. 186.	De
De ornatu narrationis. 189.	
De alijs partibus quae antecedunt confirmationem. 192.	
De confirmatione. 201.	

ERRATA INSIGNIORA.

p. 27. v. ol. rep. sigenes. p. 31. v. ol. rep. sunt poete, ac praesertim Homerus,
qu. p. 32. v. paenul. desit. parum oratorum d.fferuntur. licebit & tertium. p.
37. v. 25. leg. ut in. p. 59. v. 26. ut sit ne. p. 92. v. ult. Coelima, & Coelius.
p. 93. v. 11. Remulum. p. 108. v. 5. dele nam. & v. 8. leg. contraria. p. 110. v.
1. cum. p. 124. v. 18. publicis. p. 137. v. 2. cum. p. 148. v. 16. quo. p. 158. v. 22.
ratio. p. 162. v. 4. calamitas. p. 175. v. 27. sefit. p. 185. v. 19. dele alterum, ut
v. ult. dicit. p. 195. v. 8. & v. p. 200. perturbari. p. 203. v. 17. percipi. p. 261.
v. 19. quam tum. p. 268. v. 16. exortis. p. 282. v. 1. Hermogenes. p. 288. v.
13. varic. p. 309. v. 25. proprius. p. 328. v. 5. salute. v. 6. pernicie. p. 333. v. 9.
Halicyensis. & v. 11. praeterem. p. 341. v. 9. secundum paria. p. 349. v. 6. ma-
gnitudinis. p. 376. v. 4. rep. Caecina. p. 384. v. 15. p. 385. v. 24. cum. Cu-
raimus tamen edenda narandi verbum, & narrationis vincto. r. ex Par. a-
pud Caesiod. quamvis ex Adamant. nunquam ex Plin. promptus, sumptus,
derrumpo, sumministris, afficere, exire, exopto, gloriosus nunquam, quam-
quam ex Prisc.